This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Lt 1.802



BOUGHT WITH
THE INCOME FROM
THE BEQUEST OF
MRS. ANNE E. P. SEVER,
OF BOSTON,
Widow of Col. James Warren Sever,
(Class of 1817,)

24 June, 1884.



QUAESTIONES SYNTACTICAE

DE PARTICIPIORUM USU

TACITINO VELLEIANO SALLUSTIANO.

SCRIPSIT

FRANCISCUS HELM
DR. PHIL.

LIPSIAE
IN AEDIBUS B. G. TEUBNERI.
MDCCCLXXIX.

Lt 1.802

JUN 24 1884
Sewer Fund.

LIPSIAE: TYPIS B. G. TEUBNERI.

Conspectus.

pag.

Praemittenda 1
Cap. I. De significatione participiorum 3
§ 1. Generalia quaedam 3
§ 2. *A.* De participio praesentis et futuri activi 4
B. De participio imperfecti quod dicitur de conatu 4
§ 3. De participio perfecti passivi 5
A. De participio perfecti quod in modum participii aoristi Graecae linguae dicunt usurpari 6
I. De participio perfecti verborum deponentium 6
II. De participio perfecti passivi 10
III. De ablativo absoluto participii perfecti passivi . . . 10
B. De iis participiis perfecti temporis verborum depon. quae passivam vim habent 17
§ 4. De participio futuri passivi (gerundivo) 18
Cap. II. De participiorum natura nominali 19
§ 5. De participiis adiectivorum instar usurpatis 19
§ 6. De participiis quae substantivorum instar usurpantur 21
A. De participio praesentis 21
B. De participio perfecti pass. pro substantivo verbali posito . 30
C. De participio futuri activi et passivi generis 32
§ 7. De gerundio cum praepositionibus coniuncto. 32
§ 8. De gerundio quod dependet de nominibus, adiectivis, verbis . 34
I. De genetivo qui pendet a substantivis 34
(Singula genera invenies sub A, B, C, D, E, F.)
II. De genetivo qui dependet de adiectivis 40
III. De genetivo qui pendet a participiis praesentis temporis 41
IV. De genetivo qui dependet de verbo 42
§ 9. De gerundio quod non tam ad certam quandam vocem quam ad totum enuntiatum pertinet 44
A. De gerundii ablativo instrumentali 44
B. De gerundii ablativo modali 46
Cap. III. De participiorum usu attributivo. 48
§ 10. De participiis cum substantivis pro substantivis verbalibus positis 48
§ 11. De genetivo 55
I. De genetivo qui pendet a substantivis 56
II. De genetivo qui pendet ab adiectivis 57
III. De genetivo qui pendet a verbo 58
§ 12. De dativo 58
I. De dativo qui dependet de verbo 59
(Singula genera invenies sub A, B, C.)
II. De dativo qui pendet ab adiectivo 62
III. De dativo antecedente substantivo 65
§ 13. De accusativo 67

pag.
§ 14. De ablativo 70
A. De ablativo qui sequitur praepositiones 70
B. De ablativo qui vocatur instrumentalis 71
Cap. IV. De participiorum usu praedicativo 73
§ 15. De participiis enuntiatorum vice fungentibus 73
A. De participio futuri activi loco enuntiati secundarii usurpato 73
B. De participio praesentis et perfecti quod nullo addito substantivo in locum enuntiati condicionalis substitutum est 78
C. De participio praes., perf., futuri, quod nullo addito substantivo in locum enuntiati concessivi substitutum est . 79
D. De gerundio enuntiati condicionalis vice fungenti . . . 79
§ 16. De genetivo inprimis de genetivo per ellipsin vulgo explicato 79
I. De genetivo gerundii qui vice infinitivi in nominativo casu prolati fungi videtur 80
II. De genetivo gerundii et gerundivi qui sensu finali positus esse videtur. 82
(Singula genera invenies sub A, B, C, D, E.)
§ 17. De dativo. (explicatur elocutio: mihi aliquid volenti est) . . 86
§ 18. De accusativo. 87
§ 19. De ablativo 88
A. De ablativo absoluto modali 89
B. De ablativo absoluto temporali 92
C. De ablativo absoluto causali 94
D. De concessivo ablativi absoluti usu 98
E. De ablat. absol. adversativo 100
F. De abl. absol., condicionali 101
G. De ablativo absol., cuius subiectum ex enuntiato quod sequitur relativo supplendum est 102
H. De ablat. absol. participii praesentis nullo substantivo apposito 103
I. De abl. absol. cuius subiectum in enuntiato principali nominatur 104
K. De ablat. absol. participii futuri passivi 104
L. De ablat. absol. participii perfecti pass. omisso substantivo 106
M. De ablativo absol. participii futuri activi 109
N. De ablativo absol. participii perfecti verborum deponentium 109
O. De ablativo absol. participii fut. act. verborum deponentium 111
Cap. V. De participiorum natura verbali 112
§ 20. De participiis quibus adverbia adduntur 112
§ 21. De participiis a quibus et singulae voces et totae structurae aptae sunt 118
A. De participiis quibuscum casus obliqui, accusativi cum infinitivo structura vel solus infinitivus coniunguntur . . . 118
B. De genetivo gerundii quocum coniungitur accusativus. . 125
C. De ablativo gerundii quocum coniungitur accusativus . . 126

Appendix critica . . . . . 129—139

Praemittenda.

Ad linguae Latinae leges, quomodo paulatim constitutae sint, recte cognoscendas quam non modo utile, sed prorsus necessarium sit syntaxin quam vocant historicam diligenter excolere, tam certis argumentis iam saepe demonstratum est[1]), ut probabiliora illis addere vix possimus. attamen libri qui huic desiderio inserviunt nec multi sunt et ita plerique comparati, ut multum absit, quin res plane absolvatur. nam in tanto tamque lato campo non sufficit collectam ex omnium linguae aetatum idiomatis farraginem componere, sed distinctis pro temporum ratione exemplis sua cuique aetati indoles tribuenda est, ut per quas vicissitudines ad certae cuiusdam aetatis conformationem lingua accreverit, penitus intellegatur.

Quoniam autem universam materiam aequabili et acumine et diligentia pertractare unius hominis vires excedit, in singulas syntaxis partes seorsum inquirendum est, ut aliquando multorum virorum coniunctis laboribus plena et clara totius linguae imago possit adumbrari. quae cum ita sint cum usui participiorum illustrando operam nostram navandam esse duxerimus, paucis, quas rationes secuti simus, exponere liceat.

Ac participiorum usum cur nemodum accuratius pertractaverit, haud difficile est ad cognoscendum. ante omnia plerarumque structurarum natura tam perspicua esse videbatur, ut viri docti in iis explicandis non esse elaborandum existimarent, ac tamen multum abest, quin omnia recte intellexerint. nam ut taceamus de variis ellipsis formis similibusque adminiculis, quibus difficultates non expedire, sed vitare studebant, haud raro etiam factum est, ut quae structurae sunt linguae Latinae idiomata suo iure utentia ideoque ex eius indole explicandae videntur, eas e Graecorum usu loquendi desumptas esse putarent.

Cum igitur apud Latinos usus participii et per se maximi

1) Praeter alia consideranda sunt quae nuper monuit Franciscus Bücheler (Philologische Kritik, Bonn 1878, pag. 16 squ.) ... *Wir brauchen eine genaue Statistik und Geschichte aller Constructionsverhältnisse und stilistischen Erscheinungen, welche uns befähigt, im Sprachgebrauch und in der Phraseologie jedes Schriftstellers Ererbtes und Eigenes, Gemeinübliches und Freierfundenes, Notwendiges und Beliebiges strengstens zu unterscheiden.*

momenti sit et Tacitus singulari studio summaque elegantia illi usui excolendo incubuerit, pluribus verbis minime opus est exponere, quantum utilitatis ex peculiari commentatione sperari possit, qua omnibus, quae hac in provincia adhuc allata sunt, examinatis et perpensis tota materies quam accuratissime comprehendatur. hac enim ratione firmum iacietur fundamentum, quo ii, qui eundem usum apud alios scriptores persecuti sunt, nova atque certiora invenire possint.

Nec tamen nos in unius Taciti scriptis versabimur. comparationem enim cum usu loquendi Sallustiano talem esse, quae omnium laude et approbatione dignissima sit, probare vix opus est, quia constat intimam rationem inter Tacitum et *illum florentissimum auctorem rerum Romanarum* (ann. III, 30) intercedere. quatenus ea communio ad istam syntaxis partem pertineat, speramus fore ut demonstremus. neque Velleium Paterculum putamus infeliciter electum esse, qui cum Tacito conferatur, praesertim cum nemodum quaesiverit, qualis Velleius comparatus cum Tacito cognoscatur. plures autem scriptores vel historicos vel philosophos — quis enim non cogitaverit de Suetonio vel de Seneca? — in comparationem vocare noluimus, ne cumulandis exemplis undique conflatis conspectum consuetudinis Tacitinae turbaremus.

Itaque quoniam versabimur in tribus scriptoribus conferendis, quorum libros diligentissime perlegimus omnibusque exemplis collectis excussimus, aliquantulum ad cognitionem syntaxis historicae augendam nos esse collaturos confidimus. quod quo certius perficiatur, ea quoque in censum vocata sunt, quae de classicis quos dicunt scriptoribus, inprimis de Livio viri docti protulerunt.

In tanta autem materiae amplitudine, qua via processuri simus, iam hic profiteamur: primum dicendi usum unumquemque examinabimus pro varia apud Sallustium, Velleium, Tacitum ratione, deinde qualis sit, si contuleris cum sermone classicorum scriptorum, tum si Livianum loquendi usum respexeris, postremo quantum discriminis in excolenda unaquaque specie inter singula Taciti scripta appareat. neque vero propositum esse potest, ut omnia, quae de participiis in librorum grammaticorum crassis voluminibus exposita sunt, hic iterum pertractentur, immo, ne rem actam agere videamur, ea tantummodo huius loci erunt, quae aut false aut omnino non tractata sunt, ita, ut qui exstant libri grammatici non supervacanei fiant, sed suppleantur.

Caput I.

De significatione participiorum.

§ 1.

Generalia quaedam.

Consilii nostri in prooemio expositi, secundum quod omnia a commentatione nostra aliena sunt quae vulgaribus libris grammaticis satis superque tractantur, ipsum huius libri initium testimonio esse volumus. nam tantum abest, ut quaecunque viri docti de formatione participiorum in diversas partes disputaverunt repetamus, ut quid ipsi de formatione et de significatione inde explicanda iudicemus quam brevissime indicemus.

Participium cum non minus atque infinitivus nomen verbale sit, significationis magna similitudo inter utramque orationis partem intercedat necesse est. hoc tamen discriminis apparet, ut hic propius ad nomen quod vocatur actionis accedat, illud ad adiectivum, quam ob rem multi sunt, qui siquidem exponenda est notio participii, verbi quandam esse dicant formam adiectivi instar usurpatam. hac ex duplici participii natura etiam illud cognoscas, cur commentationis nostrae partes ita dispositae sint, ut duo peculiaria capita distinguantur, prout agitur de vi nominali, aut de verbali.

At unum est quod accuratius explicandum esse videtur. nomine enim participii multo plura comprehendimus, quam quae hac voce vulgo intellegi solent. nam gerundium quoque participium est, quod formatur ex suffixo duplici *-un-do*, *-en-do*, cuius primitiva forma erat *-an-da*.[1])

Etiamsi non exstaret gerundium, illa suffixa Latinae linguae esse facile demonstrari posset, nam aliae sunt formae, quibus continentur, sicut *lar-un-da*, *rot-un-du-s*, *rubi-c-un-du-s*.

---

1) Cur suffixum *an-ja* esse non possit, Corssen (Beiträge zur Italischen Sprachkunde p. 589) contra Curtium qui nunc (etym. el.[5] p. 664) ei assentitur demonstravit.

Ceterum quo pacto factum sit, ut gerundium primae quae vocatur coniugationis exeat in *andus*, alterius in *endus*, aliae formae desinant in *iundus* (*oriundus*), exponere huius loci non est. sufficit probasse gerundium esse participium, cui sententiae id obstare quod non eadem significatione praedita sint cave ne existimes, nam etiam gerundium ipsum et gerundivum variam habent notionem et tamen una utuntur formatione. nomina ipsa gerundium, gerundivum, quia usu tanquam sancita sunt, non repudiemus. nec vero aliis, quam quae exposita sunt, elementis, illud suffixum constat, in quod participum praesentis exit: *-ant*, vel praeeunte stirpe quae vocabulum continet *-nt*,[1]) quarum utramque formam aequabiliter ita usurpari, ut uni eidemque consilio inserviant Curtius[2]) demonstravit. quae igitur intercedit differentia inter formationem participii et gerundii ea est, ut in illo suffixi *un-do* vel *en-do* nulla gravior fiat mutatio, in hoc autem littera t in d debilitetur totaque ultima syllaba in secundam transeat declinationem. quam explicationem haud mediocriter stabiliunt tales formae, quae quamquam gerundii formationem prae se ferunt, tamen significationem participii praesentis habent, sicut *labundus gleitend*, sed aliud est *periculum labundi*.

§ 2.

A. De participio praesentis et futuri activi.

Participium praesentis significat actionem, quae eodem tempore atque illa fit, cui supplendae vel amplificandae inservit. itaque multa participia, cum sint adiectiva verbalia, naturam adiectivorum ita adoptasse constat, ut non cum eo quem verbi natura desiderat casu, sed cum genetivo iungantur.

Quae vero participio futuri activi designantur, ea non ad praesens, sed ad futurum tempus pertinere ipsum nomen indicat. usus ipsius varia genera infra explicabuntur. suffixum primitivum *tar*, quo nomina agentis formantur, in hoc participio in *turus* amplificatum est.

B. De participio imperfecti quod dicitur de conatu.

Peculiarem Taciti, Vellei, Sallustii usum eum enarrare liceat, quo participia plane ut verbum finitum de actione dicuntur non

1) Hanc solam ab initio fuisse suffixi speciem Brugman Curt. stud. IX 329 sqq. probare studet.

2) Griech. Verb. II. 116.

tam evadente, quam temptata. cum autem talia praesentia vel imperfecta de conatu dici grammatici tradant, eodem iure nos tale verbum infinitum participium de conatu nuncupare possumus. ac tria aut quattuor ex Livio et Cornelio Nepote sumpta exempla a grammaticis, qui huius usus omnino mentionem faciunt, vulgo commemorantur. plura nobis occurrerunt, ex quibus unum vertamus:

Tac. hist. I, 9 *adeo furentes* (milites) *infirmitate retinentis ultro accendebantur, nun gar wüthend wurden sie durch die Schwachheit dessen, der sie zurechtzuweisen suchte, noch obendrein entflammt.*

Alia sunt: Tac. hist. I, 17 *supprimentes.* I, 45 *voce vultuque temperans.* II, 18 *retinenti duci tela intentare.* IV, 30 *nuntiis et promissis fidem legionum convellens.* V, 7 *egerentibus.*

§ 3.

De participio perfecti passivi.

Hoc participio in universum ea describuntur, quae iam peracta sunt. vocatur autem participium perf. passivi, quamquam suffixo Indogermanico *ta*, Latino *to*, *tu* ab initio passivam vim non inesse satis constat. immo vero activo sensu id usurpari et Sanscritae linguae et Graecae exemplis docemur. ac ne Latina quidem participia in *to* terminata generi passivo omnia assignanda esse verba quae vocantur deponentia luculentissimo sunt documento. sed iam antiquissimis temporibus eae formae non solum ad eum spectant, qui aliquid fecit vel etiamnunc facit, sed etiam ad eum, qui aliquid patitur, vel ad id, in quo actio fit, sic *datas* non is est, qui dedit, sed qui datus est, vel potius, qui datur, nam ne praeteriti quidem temporis notio semper his participiis inerat, vix ut erremus, si usu syntactico paulatim ea orta esse dicamus. quid? participia cum sui iuris vocabula non essent nec sine verbo finito cogitari possent, nonne consentaneum erat, si sexcenties ad verbum finitum praeteriti temporis accederent, ipsa quoque hanc significationem postremo induisse? itaque quae Graeci significationis temporalis discrimina variis formis accurate describere poterant, ea Romani tanta formarum varietate destituti uni eidemque participio assignare coacti erant. quae si tenemus, non mirabimur, modo praesentis notione participia suffixo *to* terminata uti, modo aoristi, modo perfecti; nomen autem perfecti passivi ex usu maxime vulgato ortum est.

In lingua igitur Latina participium suffixo *to* formatum saepenumero narrationi insertum invenitur, ut actionem indicet vel factum verbo finito antecedens. atque haec temporis ratio non tam ipsius participii forma exprimitur, quam nexu sententiarum. tale participium si quis aoristi in modum usurpari dicat, ne obliviscatur ne aoristi quidem participio semper actionem vel factum significari verbo finito antecedens. ac Tacitus breviloquentiae cuiusdam studiosus hunc usum participii saepius admisit, quam Cicero vel si quis alius scriptor plena ac rotunda oratione utebatur.

A. De participio perfecti quod in modum participii aoristi Graeci dicunt usurpari.

I. De participiis perfecti verborum deponentium.

Huius generis per se admodum simplicis omnia proferenda erunt exempla, nam aliae species huic propinquae, sed a prioribus scriptoribus aut omnino non aut parcissime usurpatae, quas Tacitus saepenumero adhibuit, eo melius perspicientur.

Sunt enim — id quod hac oblata occasione animadvertere licet — duae rationes, quas in lingua Tacitina excolenda observare possis, prout Tacitus aut usus alicuius parva initia quae apud antecedentes scriptores suppetunt in suam dicendi consuetudinem recipit iisque tanquam fundamento suppositis structuras novas insolenterque dictas effingit, aut primis illis superiorum vestigiis prorsus neglectis statim ad res priori aetati innotas et inauditas procedit excogitandas.

Iam exempla huc pertinentia proferamus.

a) Taciti:

Ann. I, 34 *dehinc audito legionum tumultu raptim profectus obvias extra castra habuit.* ib. *tunc a veneratione Augusti orsus flexit ad victorias triumphosque Tiberii.* I, 37 *Germanicus superiorem ad exercitum profectus secundam et tertiam . . . . legiones nihil cunctatus sacramento adigit.* I, 38 *Reduxit in hiberna turbidos et nihil ausos.* I, 39 *Interea legati ab senatu regressum iam apud aram Ubiorum Germanicum adeunt.* ib. *Munatium Plancum consulatu functum incusant.* ib. *Illic signa et aquilam amplexus religione sese tutabatur.* ib. *Luce demum ingressus castra Germanicus perduci ad se Plancum imperat.* I, 40 *diu cunctatus . . . postremo uterum eius et communem filium multo cum fletu complexus ut abiret perpulit.* I, 44 *secuti exemplum veterani haud multo post in Raetiam mittuntur.* I, 47 *mox hiemem et negotia varie causatus*

primo prudentes .... fefellit. I, 49 *mox ingressus castra Germanicus non medicinam illud plurimis cum lacrimis sed cladem appellans cremari corpora iubet.* I, 51 *Caesar advectus ad vicensimanos voce magna .... clamitabat.* I, 53 *imperium adeptus extorrem infamem ... peremit.* I, 56 *aperta populatus vertit ad Rhenum.* I, 67 *equos dehinc orsus a suis legatorum tribunorumque .... fortissimo cuique bellatori tradit.* I, 70 *tandem Vitellius in editiora enisus eodem agmen subduxit.* I, 74 *potentiam .... adeptus dedit exemplum quod secuti .... invenere.* I, 81 *candidatos hortatus ne ambitu comitia turbarent suam ad id curam pollicitus est.* II, 8 *ingressus precatusque Drusum patrem ut se eadem ausum ... pervehitur.* II, 10 *paulatim inde ad iurgia prolapsi quo minus pugnam consererint ne flumine quidem interiecto cohibebantur.* II, 11 *coorti et undique effusi trudunt adversos.* II, 12 *Caesar transgressus Visurgim indicio perfugae cognoscit delectum ab Arminio locum pugnae.* ib. *suggressi proprius speculatores .... attulere.* II, 13 *nocte coepta egressus .... assistit tabernaculis.* II, 14 *vidit se operatum et sanguine sacri respersa praetexta pulchriorem aliam manibus aviae Augustae accepisse.* II, 25 *alii qui terga circumgressi recluderent humum.* II, 28 *Caesar indicium haud aspernatus congressus abnuit.* II, 30 *domum digressus extremas preces .... mandavit.* II, 33 *Octavio Frontone praetura functo.* II, 40 *dein speculati noctem incustoditam... traxere.* II, 42 *nec ideo sincerae caritatis fidem assecutus .... amoliri studuit.* II, 56 *quod is prima ab infantia instituta et cultum Armeniorum aemulatus ... devinxerat.* II, 60 *orsus oppido a Canopo.* II, 66 *Rhesenporis inter metum et iram cunctatus maluit ... reum esse.* II, 70 *nec Piso moratus ultra navis solvit.* III, 15 *saeva cuncta perpessus nullo magis exterritus est.* III, 19 *Drusus egressus ... introit.* III, 23 *Lepida ... theatrum ingressa .... tantum misericordiae permovit.* III, 31 *parva res magnum ad certamen progressa praebuit.* III, 32 *quod initium ... agitandi ... odii nanctus .... incusavit.* III, 42 *Florus incertis latebris victores frustratus ... suo manu cecidit.* III, 68 *ille multum praefatus ... censuit.* III, 74 *Tiberius pro confecto interpretatus id quoque Blaeso tribuit.* IV, 8 *egressi consules firmatos alloquio .... statuunt.* IV, 35 *egressus dein senatu vitam abstinentia finivit.* IV, 36 *Drusum auspicandi gratia tribunal ingressum adierit.* IV, 45 *ex improviso in itinere adortus uno vulnere in mortem affecit.* IV, 51 *quidam pontis et scalas ante fabricati inferre propugnaculis eaque prensare.* IV, 57 *quamquam secutus plurimos auctorum .... retuli.* VI, 1 *in pro-*

pinqua degressus . . . repetiit. VI, 7 *Minucius et Servaeus damnati indicibus accessere.* VI, 9 *precatusque per codicillos . . . resolvit.* VI, 21 *complexus eum Tiberius . . . gratatur.* VI, 27 *oblitus Arruntium.* VI, 37 *hortatus . . . ducit.* VI, 38 *Gratianus praetura functus.* VI, 39 *concessit vita . . . triumphale decus adeptus.* VI, 41 *erumpere ausos ferro . . . . ad deditionem coegit.* VI, 51 *proscriptum patrem exsul secutus . . . . conflictatus est.* ib. *Rhodo regressus . . . . obtinuit.* XI, 2 *ingressusque defensionem . . . lacrimas excivit.* ib. *provincias ingressus . . . adegit.* XI, 20 *nihil aliud prolocutus . . . signum receptui dedit.* XI, 21 *degressus in urbem . . . assequitur.* XI, 22 *de se non infitiatus conscios non edidit.* XI, 26 *ne Silius summa adeptus sperneret adulteram.* XI, 31 *ferunt Vettium Valentem lascivia in praealtam arborem conisum interrogantibus . . . respondisse.* XI, 37 *in hortos praegressus repperit.* XII, 7 *senatum ingressus decretum postulat.* XII, 22 *Claudius . . . multa de claritudine eius apud senatum praefatus . . . addidit.* XII, 27 *gentem Rheno transgressam avus Agrippa in fidem acciperet.* XII, 30 *degressus castellis Vannius funditur proelio.* XII, 45 *regressus ad patrem . . . . nuntiat.* XII, 49 *montem Taurum transgressus . . . . composuerat.* XII, 58 *alia procul fabulis vetera facunde exsecutus perpetrat.* XII, 62 *orsi a foedere . . . . memorabant.* XII, 69 *congruentia tempori praefatus . . . . imperator consalutatur.* XIII, 1 *Agrippina . . . necem molita ultorem metuebat.* XIII, 4 *Curiam ingressus et de auctoritate patrum et consensu militum praefatus . . . . memoravit.* XIII, 40 *decurio equitum audentius progressus et sagittis confixus . . . . firmaverat.* XIII, 41 *Corbulo castra in loco metatus . . . . agitavit.* XIII, 48 *ea seditio ad saxa et minas ignium progressa ne caedem et arma proliceret.* XIII, 56 *quod ille ut proditionis pretium aspernatus addidit.* XIII, 57 *propius suggressi . . . . absterrebant.* XIV, 24 *in regionem Taraunitium transgressus improvisum periculum vitavit.* XIV, 51 *Burrum . . . adspectum eius aversatum sciscitanti hactenus respondisse.* XV, 1 *quippe egressus Armenia Tigranes . . . . vastaverat.* XV, 4 *pauci avidius progressi . . . . accenderant.* XV, 27 *Legatos haud aspernatus adiungit iis centuriones.* XV, 29 *Multum praefatus cetera temperanter adiungit.* XV, 30 *digressus Pacorum aput Medos, Vologesen Ecbatanis repperit.* XV, 33 *Transgressum in Achaiam insignesque et antiquitus sacras coronas adeptus maiore fama studia civium eliceret.* XV, 36 *edicto testificatus . . . adiit Capitolium.* XV, 54 *regressus domum testamentum obsignavit.* XVI, 35 *Progressus . . . .*

reperitur. hist. I, 14 *pauca praefatus . . . iubet.* I, 15 *bello adeptus.* I, 31 *aspernata.* ib. *adorti milites . . . . coercent.* ib. *nihil cunctata . . . adiungitur.* I, 34 *nec diutius cunctatus . . . accessit.* I, 37 *ingressus.* I, 51 *seque et Gallias expertae quaerere rursum arma.* I, 53 *aegre passus . . . operire statuit.* I, 55 *nihil ausae . . . . circumspectabant.* I, 67 *aegre id passi Helvetii . . . retinebant.* I, 70 *moratus.* I, 72 *adeptus . . . .* ib. *ausus.* I, 73 *transgressa . . . haud obscure molita.* II, 17 *transgressi.* II, 20 *transgressus.* II, 25 *ausi.* II, 47 *talia locutus.* II, 49 *ingressi liberti servique . . . invenere.* II, 51 *digressus.* II, 85 *progressae.* III, 12 *progressus Lucilius auctorem se palam praebet.* III, 16 *hortatus.* III, 29 *egressus.* III, 50 *cunctata.* III, 54 *percontatus interfici iussit.* III, 55 *digressus voluntaria morte dicta firmavit.* III, 58 *ea simulatio offici a metu profecta verterat in favorem.* ib. *quin et Caesarem se dici voluit aspernatus antea.* III, 67 *quae tamen paucis ante diebus opportuna morte excidium domus praevenit nihil principatu fili assecuta nisi luctum et bonam famam.* III, 69 *subierunt obsidium etiam feminae inter quas maxime insignis Verulana Gratilia neque liberos neque propinquos sed bellum secuta.* III, 71 *praetervecti . . . . erigunt.* ib. *egressi.* IV, 11 *Mucianus urbem ingressus cuncta simul in se traxit.* IV, 14 *orsus . . . enumerat.* IV, 17 *perpessi . . . vocarent.* IV, 27 *ingressis Novaesium sexta decuma legio coniungitur.* IV, 34 *dux uterque pari culpa meritus adversa prosperis defuere.* ib. *confisus.* IV, 46 *ingressus castra Mucianus . . . . constituit.* IV, 51 *hibernum mare aggressi nuntiavere.* IV, 82 *ingressus.* IV, 84 *tertio die tantum maris emensi Alexandriam appelluntur.* V, 1 *ingressus . . . . castra fecit.* V, 3 *continuum sex dierum iter emensi septimo pulsis cultoribus obtinuere terras.* V, 23 *praevecti dirimuntur.* ib. *Civilis ultra ausus trans Rhenum concessit.* Agric. 6 *digressus iunxit.* 16 *consectati.* ib. *nihil ultra ausus . . . . tradidit.* 18 *transgressus Agricola invenit.* 19 *a se suisque orsus . . . coercuit.* 24 *transgressus . . . . domuit.* 28 *circumvecti.* 31 *laturi.* 33 *egressi.* Germ. 2 *qui primi Rhenum transgressi Gallos expulerint.*

b) Vellei.

I, 4 *Iones duce Ione profecti Athenis nobilissimam partem regionis maritimae occupavere.* ib. *Aeolii . . . . profecti . . . . obtinuerunt.* I, 6 *Caranus . . . . profectus Argis regnum Macedoniae occupavit.* I, 8 *Romulus Martis filius ultus iniurias avi Romam . . . . condidit.* II, 2 *pollicitus toti Italiae civitatem miscuit.* II, 43 *navem . . . . ingressus . . . traiecit sinum.* II, 56 *Caesar . . . . regressus in*

urbem . . . . ignovit. II, 62 *profecti urbe atque Italia . . . . provincias exercitusque occupaverant.* II, 82 *Antonius . . . ingressus Armeniam . . . . habuit.* II, 86 *persecutus reginam . . . . ultimam bellis civilibus imposuit moram.* II, 97 *peragratus victor omnis partes Germaniae . . . . perdomuit eam.* II, 113 *prosecutus remisit.* ib. *regressus . . . . praefecit.* II, 120 *nec temerario consilio nec sequi providentia usi speculatique opportunitatem ferro sibi ad suos peperere reditum.* II, 123 *prosecutus filium digressusque ab eo Beneventi ipse Notam petiit.* II, 125 *usus . . . maluit.*

c) Sallustii:

Catil. 4, 2 *eodem regressus statui res gestas populi Romani carptim . . . . perscribere.* Iug. 88, 1 *Metellus Romam profectus contra spem suam laetissimis animis accipitur.* 88, 3 *Gaetulos et Iugurtham aggressus . . . . fuderat.* 92, 4 *denique multis locis potitus . . . . aliam rem aggreditur.* 102, 1 *victor pervexit in oppidum Cirtam quo initio profectus intenderat.* Catil. 40, 2 *percontatus pauca . . . . requirere studuit.*

II. De participio perfecti passivi.

Tacit. ann. II, 3 *primo congressu fusus. reparat vires regnoque potitur.* II, 11 *coorti et undique effusi trudunt adversos.* II, 60 *iussus a senioribus sacerdotum patrium sermonem interpretari referebat.* I, 57 *adductus in spem clementiae Romanae pertulit patris mandata.* III, 15 *relatus domum . . . . pauca conscribit.* IV, 56 *rogati sententiam patres . . . . praetulere.* XIII, 40 *decurio equitum audentius progressus et sagittis confixus . . . . firmaverat.* hist. IV, 34 *Ostentati etiam captivi ex quibus unus egregium facinus ausus clara voce gesta patefecit confossus ilico a Germanis.* Agric. 29 *initio aetatis Agricola domestico vulnere ictus anno ante natum filium amisit.* Vell. I, 4 *Aeolii eadem profecti Graecia longissimis acti erroribus non minus illustres obtinuerunt locos.* II, 83 *refrigeratus ab Antonio ob manifestarum rapinarum indicia transfugit ad Caesarem.* II, 101 *Cum C. Caesar ante aliis provinciis ad visendum obitis in Lyciam missus . . . tam varie se ibi gessit.* Sall. Iug. 14, 23 *ego infelix in tanta mala praecipitatus ex patrio regno rerum humanarum spectaculum praebeo.*

III. De ablativo absoluto participii perf. pass.

Ad eundem, qui participiorum perf. depon. proprius est, usum etiam ablativus absol. partic. perf. pass. accommodatur ita,

ut quid quis fecerit designet, antequam ad negotium principale exsequendum se verterit. atque logicum quod dicitur subiectum in verbo finito inest.

Apud Ciceronem et Caesarem hic usus angustissimis finibus circumscriptus est. Livius et Sallustius eum pari, sed parvo studio, Velleius maiore pro amplitudine scriptorum amplexi sunt, summam denique exemplorum abundantiam invenimus apud Tacitum. etiam hoc monemus, quod discrimen inter priores et posteriores scriptores perbene designet: si Caesar vel Livius vel alii illam structuram compluribus locis adhibeant, nescio an id casu factum sit, at Tacitinorum ex permagna exemplorum frequentia patet scriptorem sibi conscium fuisse, quantum illud idioma conferat ad orationis brevitatem efficiendam, itaque de industria certam quandam vim ei tribuisse. quae Draeger [1]) disserit, non apta sunt ad lucem huic usui inferendam, nam varia confunduntur.

Praeterea cum ablativi absoluti usu illo comparat Draeger: Iust. I, 1 *decessit relicto impubere. adhuc filio* quamquam ratio prorsus alia est. illud enim relinquere filium non est actio, quae antecedit mortem, sed ipsa morte accidit, ita ut, si legitimam viam ingrediaris, dicendum sit: decessit relinquens filium. neque aliter explices Cic. ad Att. VII, 21, 2 *ut statim exirent urbe relicta.* Liv. I, 34 *moritur uxore gravida relicta.* Vell. II, 59 *obiit praetextato relicto filio.* talium locorum prorsus aliam esse rationem quam Curt. IV, 1, 10 *mare traiecit illato Macedoniae bello* manifestum est, quae omnia exempla Draeger quasi nullum intercedat discrimen tractavit.

Ad veram illius usus speciem pertinent:

a) Apud Tacitum:

Ann. II, 40 *Dein speculati noctem incustoditam accepta idonea manu vinctum clauso ore in Palatium traxere.* II, 59 *Tiberius cultu habituque eius lenibus verbis perstricto acerrime increpuit.* II, 78 *armat lixas traiectisque in continentem navibus vexillum tironum in Suriam cuntium intercipit.* II, 80 *admixtis desertoribus et tirone nuper intercepto suisque et Plancinae servitiis auxilia Cilicum .... composuere.* III, 8 *Piso praemisso in urbem filio datisque mandatis per quae principem molliret ad Drusum pergit.* III, 9 *Piso Dalmatico mari transmisso relictisque apud Anconam navibus ... assequitur.* III, 10 *ille dimissa eius causae delatione .... obtinuit.* III,

1) Stil. Tac. § 209.

10 *paucis familiarium adhibitis minas accusantium audit.* III, 27 *Sulla dictator abolitis vel conversis prioribus . . . . otium eius rei haud in longum paravit.* III, 56 *Tiberius fama moderationis parta . . . petebat.* III, 59 *Tiberius dilata notione de iure flaminis decretas . . . . caeremonias temperavit.* III, 63 *Consulibus permisere ut perspecto iure . . . rem integram rursum ad senatum referrent.* III, 69 *increpitis C. Silani moribus addidit* III, 73 *Tacfarinas . . . . reparatis per intima Africae auxiliis huc arrogantiae venerat.* III, 74 *donec fratre eius capto regressus est.* IV, 3 *neque femina amissa pudicitia alia abnuerit.* IV, 22 *reus frustra temptato ferro venas praebuit exsolvendas.* IV, 73 *prorumpunt quintani ante alios et acri pugna hoste pulso recipiunt cohortis alasque fessas vulneribus.* ib. *mox compertum . . . . aliam quadringentorum manum occupata Cruptoricis quondam stipendiarii villa mutuis ictibus procubuisse.* V, 5 *Caesar repetitis adversum nepotem et nurum probris increpitaque per dictum plebe questus apud patres quod . . . integra tamen sibi cuncta postulavit.* V, 8 *Vitellius petito per speciem studiorum sculpro levem ictum venis intulit.* VI, 1 *Caesar transmisso quod Capreas et Surrentum interluit freto Campaniam praelegebat.* ib. *in propinqua degressus aditis iuxta Tiberim portis.* VI, 9 *causam ut ipse cum senatu nosceret distulit datis quibusdam in Scaurum tristibus notis.* VI, 37 *repetita amicitia regis multo apud eum honore.* VI, 64 *deusto monte Coelio.* VI, 45 *deusta parte Circi.* XI, 18 *lintribus hostium depressis et exturbato Gannasco . . . . reduxit.* XII, 13 *tramisso amne Tigri permeant Adiabenos.* XII, 18 *navium quasdam . . . . circumvenere barbari praefecto cohortis et plerisque auxiliarium interfectis.* XII, 25 *Domitium filio anteponit habita apud senatum oratione.* XII, 27 *Legatus auxiliares Vangionas ac Nemetas addito equite alario immisit.* XII, 45 *Radamistus frustra vel cum damno temptatis munitionibus obsidium incipit.* XII, 49 *auxiliis provincialium contractis.* XIII, 41 *lucem opperitur praemissa levi armatura.* XIV, 25 *dato praesidio ad litora maris rubri deduxit.* ib. *vitatis Parthorum finibus patrias in sedes remeavere.* XIV, 26 *praemisso cum auxiliis Verulano legato atque ipse legionibus citis abire procul ac spem belli omittere subegit.* XIV, 31 *rapiunt arma commotis ad rebellionem Trinobantibus et qui alii . . . resumere libertatem.* XIV, 33 *ibi ambiguus an illam sedem bello deligeret circumspecta infrequentia militis.* ib. *barbari omissis castellis praesidiisque militarium . . . petebant.* XV, 4 *acto raptim agmine Moneses . . . . Tigranem offendit.* XV, 11 *Vologeses . . . nihil mu-*

tato consilio sed vi ac minis alares exterruit. XV, 12 *parte copiarum apud Suriam relicta . . . . Armeniam petivit.* hist. I, 15 *apprehensa Pisonis manu . . . . locutus fertur.* I, 35 *equitum plerique ac senatorum posito metu incauti refractis Palatii foribus ruere intus ac se Galbae ostentare.* ib. *sumpto thorace . . . . levaretur.* I, 41 *viso comminus armatorum agmine vexillarius . . . . solo afflixit.* I, 56 *proiectis Galbae imaginibus . . . . iurasse.* I, 62 *nomine Germanici Vitellio statim addito.* I, 63 *raptis repente armis . . . temperavere.*[1]) I, 70 *praemissis Gallorum . . . . cohortibus et Germanorum vexillis cunctatus est.* I, 76 *spectata . . . . auctoritate.* I, 87 *Otho lustrata urbe et expositis belli consiliis.* II, 4 *petito secreto futura aperit.* II, 8 *adiunctis desertoribus.* II, 9 *paratis omnium animis.* II, 15 *accitis auxiliis . . . invadunt.* ib. *sustentata diu acie telis obruuntur.* II, 18 *correptis signis vexillisque.* II, 19 *relictis exploratoribus . . . . reduxit.* II, 20 *Caecina . . . . transgressus temptata Othonianorum fide per colloquium et promissa isdem petitus . . . vertit.* II, 22 *traiecto rursus Pado.* II, 23 *comperto itinere hostium.* II, 29 *direptis sarcinis tabernacula ducis . . . rimabantur.* II, 30 *condito odio.* II, 37 *posito certamine.* II, 41 *Caecina dimissis tribunis revectus in castra . . . . invenit.* II, 42 *omisso pugnae ardore.* II, 43 *primani stratis una et vicensimanorum principiis aquilam abstulere.* II, 49 *dimotis omnibus.* II, 57 *vocata contione . . . cumulat.* II, 58 *spergebatur insuper spreto procuratoris vocabulo Albinum insigne regis et Iubae nomen usurpare.* II, 61 *concitis octo milibus hominum proximos Aeduorum pagos trahebat.* II, 65 *Vitellium Cluvius Rufus assequitur omissa Hispania.* II, 68 *verso itinere.* II, 69 *senatus legatione audita transgressus in castra ultro pietatem militum collaudavit.* II, 70 *spectato munere Caecinae . . . . concupivit.* II, 85 *Aquileiam progressae proturbatis qui de Othone nuntiabant laceratisque vexillis nomen Vitellii praeferentibus.* ib. *Iulianus comperto discrimine et gnaris locorum adscitis . . . profugit.* II, 86 *procurationem adeptus susceptis Vespasiani partibus acerrimam bello facem praetulit.* III, 73 *fuere qui excepto Vitellianorum signo . . . . ultro rogitantes respondentesve audaciam pro latebra haberent.* III, 80 *raptis telis signum pugnae exposcunt.* IV, 15 *statimque accitis Frisiis . . . . occupat.* IV, 17 *data potestate.* IV, 18 *proditis in ipsa acie Romanis maiore pretio fugeret.* IV, 19 *adhibitis tribunis centurionibusque consultavit.* ib. *motis utrimque*

1) Secundum Heraei felicissimam mutationem.

copiis. IV, 23 *subiectis natis propellere.* IV, 24 *Flaccus cognito interim castrorum obsidio et missis per Galliam qui auxilia concirent . . . tradit.* IV, 24 *Civilis amissa oppugnandi spe rursus per otium assidebat.* IV, 33 *amissis signis intra vallum sternebantur.* ib. *audito proeliantium clamore . . . . invadunt.* IV, 34 *tritis frustra diebus castra in hostem movit.* ib. *depositis impedimentis sarcinisque expediti certarent.* ib. *nec tempore quidem ad ordinandam aciem capto incompositi fessique proelium sumpsere.* IV, 34 *omissis fugientium tergis.* IV, 37 *raptis temere armis ac statim omissis.* ib. *resumpto Vespasiani sacramento . . . . ducebantur.* IV, 49 *seu petita navibus Gallia ducem se Vitellianis exercitibus ostenderet.* ib. *anxio dein edicto Carthaginiensibus increpitis ne solita quidem munia usurpabat.* III, 4 *Flavianum omissa Panonia ingressum Italiam . . . impulerat.* III, 6 *praedictum ut paucis interfectis ceteros pavore ad mutandam fidem cogerent.* III, 14 *repositis Vitellii imaginibus vincla Caecinae iniciunt.* ib. *relictis castris abrupto ponte Hostiliam rursus inde Cremonam pergunt.* III, 16 *hortatus suos . . . diductis in latera turmis vacuum medio relinquit iter.* ib. *omissa praeda proelio occurret.* IV, 29 *in vallum egressus deturbatis qui restiterant . . . . conclamavit.* IV, 31 *obstitit Antonius datisque defensoribus ad Vespasianum dimisit.* IV, 46 *expugnatis cohortium alarumque hibernis utraque Danuvii ripa potiebantur.* IV, 47 *adsectis gentibus . . . . corrupto in spem rapinarum egentissimo quoque . . . . subitas irrupit.* ib. *quin et barbari contemptim vagabantur fabricatis repente navibus.* III, 51 *dein cognito facinore se ipsum interfecit.* III, 56 *profugus altaribus taurus disiecto sacrificii apparatu . . . confossus.* ib. *audita defectione . . . . revertit.* III, 61 *plures abiectis armis veniam petivere.* ib. *donec Priscus et Altenus desertis castris ad Vitellium regressi pudore proditionis cunctos exsolverent.* III, 63 *positis armis seque ac liberos suos Vespasiano permisisset.* III, 67 *audita defectione . . . . degreditur.* III, 69 *accivit misso . . . . nuntio.* III, 73 *abiectis armis fugam et fallendi artes circumspectabant.* IV, 53 *Helvidius Priscus praetor . . . . lustrata suovetaurilibus area et super caepitem redditis extis Iovem Iunonem Minervam . . . . precatus . . . contigit.* IV, 54 *Civilis omissa dissimulatione in populum Romanum ruere.* IV, 56 *Claudius Labeo . . . . corruptis custodibus perfugit.* ib. *accepta peditum equitumque modica manu nihil apud Batavos ausus quosdam Nerviorum Baetasiorumque in arma traxit.* IV, 59 *dein sumptis imperii Romani insignibus in castra venit.* ib. *tutor valida manu circumdatos Agrippinenses . . . . in eadem verba*

adegit occisis Mogontiaci tribunis pulso castrorum praefecto qui detractaverant. IV, 62 *duplicatur flagitium postquam desertis Bonnensibus castris altera se legio miscuerat.* ib. *non tulit ala Picentina gaudium insultantis vulgi spretisque Sancti promissis aut minis Mogontiacum abeunt.* IV, 65 *Agrippinenses sumpto consultandi spatio ... respondent.* IV, 71 *Missis .... qui ... verterent contracto quod erat militum Mogontiaci quantumque secum transvexerat tertiis castris Rigodulum venit.* IV, 73 *ut relictis paludibus et solitudinibus suis fecundissimum hoc solum vosque ipsos possiderent.* V, 3 *plurimi auctores consentiunt .... regum Bocchiarum addito Hammonis oraculo ... purgare et id genus hominum .... avehere iussum.* ib. *pulsis cultoribus obtinuere terras.* V, 8 *qui* (reges) *nobilitate vulgi expulsi resumpta per arma dominatione .... superstitionem fovebant.* V, 14 *Civilis .... reparato per Germanicum exercitu apud vetera castra consedit.* V, 17 *suam illic victoriam Germanis obstitisse dum omissis telis praeda manus impediunt.* V, 21 *relicto equo tranatavit.* V, 23 *sic praevecti temptato levium telorum iactu dirimuntur.* Agric. 16 *expugnatis praesidiis.* 18 *contractisque legionum manu erexit aciem.* ib. *caesaque prope universa gente.* 20 *coacto exercitu.* ib. *datis obsidibus.* 28 *amissis per inscitiam regendi manibus.* 29 *praemissa classe.* Germ. 1 *quis .... Asia aut Africa aut Italia relicta Germaniam peteret.* 37 *inde otium donec occasione discordiae nostrae et civilium armorum expugnatis legionum hibernis etiam Galliam expugnavere.* 39 *caeso publice homine celebrant barbari ritus horrenda primordia.* dial. 3 *sublatis si qua pravae interpretationi materiam dederunt.* ib. *dimissa priore cura novae cogitationi toto pectore incumbam.* 4 *omissis forensium causarum angustiis .... colam.* 13 *auditis in theatro Vergilii versibus surrexit universus populus.*

b) Apud Velleium:

I, 2 *deposita veste regia pastoralem cultum induit.* I, 11 *armis occupata Macedonia assumptis regni insignibus brevi temeritatis poenas dedit.* II, 2 *promulgatis agrariis legibus .... summa imis miscuit.* II, 3 *circumdata laevo bracchio togae lacinia ... hortatus est.* II, 5 *praeclara in Hispania militia D. Bruti fuit qui penetratis omnibus Hispaniae gentibus ... aditis quae vix audita erant Gallaeci cognomen meruit.* II, 6 *more Coclitis sustentatis in ponte hostibus eius gladio se transfixit.* II, 19 *Sulla contracto exercitu ad urbem rediit.* ib. *abiecto gladio perfugit e carcere.* II, 24 *Sulla compositis transmarinis rebus ... revectus in Italiam .... exposuit*

Brundisii. II, 27 *contractis circiter quadraginta milibus fortissimae .... iuventutis .... dimicavit.* II, 32 *Cn. Pompeius multis et praeclaris viris in id bellum assumptis descriptoque paene in omnis recessus maris praesidio navium .... liberavit.* II, 40 *omni .... Brundisii dimisso exercitu nihil praeter nomen imperatoris retinens ... in urbem rediit.* II, 42 *contracta classe et privatus et tumultuaria manu*[1]) *invectus fugavit.* II, 49 *Cn. Pompeius consulesque et maior pars senatus relicta urbe ac deinde Italia transmisere Dyrrachium.* II, 61 *legio Martia et quarta cognita et senatus voluntate et tanti in venis in dolis sublatis signis ad Caesarem se contulerunt.* II, 69 *praeoccupata Asia in Syriam pervenerat.* II, 70 *cornu cui Brutus praeerat impulsis hostibus castra Caesaris cepit.* II, 70 *reiecto laevo super caput bracchio ... exspiravit.* II, 71 *Drusus Livius Iuliae Augustae pater et Varius Quintilius retemptata quidem hostis misericordia alter se ipse in tabernaculo interemit Varus autem liberti .... manu iugulatus est.* II, 72 *occupatis navibus cum magno sequentium consilio suo comitatu fugae fortunaeque se commisit.* II, 73 *occupata Sicilia servitia fugitivosque in numerum exercitus sui recipiens magnum modum legionum effecerat.* II, 76 *Pollio Asinius .... diu retenta in potestate Antonii Venetia magnis speciosisque rebus circa Altinum aliasque eius regionis urbes editis ... Domitium .... iunxit Antonio.* II, 85 *productis classibus pro salute alter in ruinam alter terrarum orbis dimicavere.* II, 85 *summissis armis cessere victoriam.* II, 91 *aggregatis simillimis sibi interimere Caesarem statuit.* II, 93 *M. Marcellus .... magnificentissimo munere aedilitatis edito decessit admodum iuvenis.* II, 94 *redacta ea* (Armenia) *in potestatem populi Romani regnum eius Artavasdi dedit.* II, 101 *Cum C. Caesar ante aliis provinciis ad visendum obitis in Suriam missis ... tam varie se ibi gessit.* II, 107 *magna cum clade hostium fraude eorum temptato exercitu in hiberna legiones reduxit.* II, 108 *occupatis igitur quos praediximus locis finitimos omnis aut bello domuit aut conditionibus iuris sui fecit.* II, 109 *Sentio Saturnino mandatum ut per Cattos excisis continentibus Hercyniae silvis legiones Boiohaemum duceret.* II, 112 *perrupta eorum acie ex insperato victoriam vindicaverunt.* II, 120 *L. etiam Caedicii praefecti castrorum eorumque qui .... obsidebantur laudanda virtus est qui omnibus difficultatibus superatis ... nec temerario consilio nec segni providentia usi speculatique oppor-*

1) Ex Halmii coniectura.

tunitatem ferro sibi ad suos peperere reditum. ib. *qui* (Tiberius) *concessis hostium viribus classicis peditumque expeditionibusque . . . in urbem reversus . . . egit triumphum.* II, 129 *proposita quasi universa principatus Tib. Caesaris forma singula recenseamus.*

c) Apud Sallustium:

Cat. 6, 7 *Immutato more annua imperia binosque imperatores sibi fecere.* 11, 4 *postquam L. Sulla armis recepta republica bonis initiis malos eventus habuit.* 16, 4 *plerique Sullani milites largius suo usi . . . . civile bellum exoptabant.* 18, 5 *fascibus correptis Pisonem cum exercitu ad obtinendas duas Hispanias mittere.* 22, 1 *fuere ea tempestate qui dicerent Catilina oratione habita . . . . humani corporis sanguinem vino permixtum in pateris circumtulisse.* 31, 3 *superbia atque deliciis omissis sibi patriaeque diffidere.* 43, 1 *paratis magnis copiis constituerant.* 45, 3 *Galli cito cognito consilio sine mora praetoribus se tradunt.* 46, 4 *Caeparius paulo antea domo egressus cognito indicio ex urbe profugerat.* 48, 1 *mutata mente Catilinae consilia exsecravi.* 50, 3 *consul dispositis praesidiis . . . . convocato senatu refert.* 57, 6 *contione advocata huiusce modi orationem habuit.* 59, 1 *deinde remotis omnium equis quo militibus exaequato periculo animus amplior esset . . . instruit.* Iug. 19, 1 *pars imperii cupidine sollicitata plebe et aliis novarum rerum avidis Hipponem . . . in ora maritima condidere.* 80, 3 *regis Bocchi proximos magnis muneribus et maioribus promissis ad studium sui perducit.* 81, 1 *fide data ac accepta Iugurtha Bocchi animum oratione accendit.* 101, 2 *nullo ordine commutato adversum omnia paratus ibidem opperitur.* 103, 1 *Marius interea exercitu in hibernaculis composito cum expeditis cohortibus et parte equitatus proficiscitur in loca sola.* 104, 3 *ceterum Mauri impetratis omnibus tres Romam profecti cum Cn. Octavio Rusone . . . . duo ad regem redeunt.* 107, 5 *sese vel praemissis vel ibidem relictis Mauris solum cum Sulla iturum.* 111, 4 *composito dolo digrediuntur.* hist. IV, 61, 8 *simulato impio testamento . . . . per triumphum duxere.*

B. De iis participiis perfecti temporis verb. depon., quae passivam vim habent.

Ab eo usu quem supra (sub A) illustravimus non differt significatio eorum participiorum, quae assumpta vi passiva temporibus

praesentibus formae reflexivae h. e. verborum deponentium adnexa sunt. nonnulla enim inveniuntur deponentia, quorum participia suffixo *to* formata analogiam verborum transitivorum secuta passivam exhibent significationem. sicut: Tac. ann. I, 59 *aliis gentibus ignorantia imperii Romani inexperta esse supplicia nescia tributa.* I, 61 *prima Vari castra lato ambitu et dimensis principiis trium legionum manus ostentabant.* III, 74 *praeponit centuriones virtutis expertae.* XIV, 1 *diu meditatum scelus non ultra Nero distulit.* Sall. Iug. 58, 3 *tela eminus missa remittere pauci in pluribus minus frustrati.* Iug. 101, 9 *dum prope iam adeptam victoriam retinere cupit.* Vell. II, 4, 2 *virtuti expertae in Africa respondit in Hispania.* II, 21, 2 *frustratus spe.* II, 115, 1 *testatum est.* II, 116, 3 *utinam non maioribus experimentis testatum esset quantum in omni re fortuna posset.*

§ 4.

De participio fut. passivi (gerundivo).

Participium futuri passivi nihil aliud est, quam gerundivum, cuius participialem naturam ex ipsa formatione elucere supra demonstravimus. in universum illi participio subesse eam notionem, secundum quam aliquid fieri debet, notissima res est. generalis autem significationis etiam mutationes exstant, necessitatis enim notione aliquantum obscurata participium futuri passivi nonnunquam indicat rem aliquam fieri posse. apud Ciceronem ille usus certis quibusdam condicionibus obnoxius est, nam nunquam, nisi negatio aliqua vel vix vocabulum appositum est, probatus esse videtur. satis excusationis habent neque repugnant illi normae loci, qui in libro de off. inveniuntur, ubi frequenter legimus intellegendum est pro intellegitur vel intellegi potest. subest enim notio eius quod iustum, decorum, debitum est, ut Zumpt[1]) uberius exponit. — Maiorem huic usui licentiam ne posteriores quidem scriptores intulisse iis qui sequuntur locis demonstratur. Vell. II, 18 *leges perniciosas et exitiabiles neque tolerandas* (= tolerabiles) *liberae civitati tulit.* II, 8 *Cyprus devicta nullius assignanda gloriae est.* II, 46 *cum deinde imanis res vix multis voluminibus explicandas C. Caesar in Gallia gereret.* I, 9 *virum in tantum laudandum in quantum intellegi virtus potest.*

1) G. L. § 650.

I, 12 *quia credenda afferebantur.* ib. *nihil in vita nisi laudandum aut fecit aut dixit.* I, 17 *nisi aspera ac rudia repetas et inventi laudanda nomine.* Sall. Cat. 10, 2 *optanda.* 64, 1 *virtus, gloria atque alia optanda bonis.*[1])

Caput II.

De participii natura nominali.

§ 5.

De participiis adiectivorum instar usurpatis.

Taciti usum dicendi diligenter perscrutantem fugere non potest illa scriptoris consuetudo, secundum quam singulari studio participiis eandem atque adiectivis potestatem ita tribuit, ut haud raro ex tribus attributis, quae aut ad idem substantivum pertinent aut sui iuris sunt, primum et ultimum iustum adiectivum sit, medium autem participium. quae cum ita sint, patet adiectivum et participium eadem vi et potestate uti. huius usus, quem confidenter negaverimus apud ullum alium vel vinctae vel solutae orationis scriptorem tam expressis ut ita dicamus signis esse adhibitum, studium Taciti presse dicendi orationisque variandae manifesta causa erat, id quod paucitate adiectivorum qua lingua Latina laborat augebatur.

Inserviunt autem illi consuetudini omnium temporum participia inprimisque participium futuri activi, quod propter insitam ei facilitatem aptissimum est (cf. § 15). sicut hist. V, 5: *profanos* (sc. Iudaei esse dicunt) *qui deum imagines mortalibus materiis in species hominum effingant: summum illud et aeternum neque imitabile neque interiturum.*

Certo igitur haec proprietas digna est, quae paucis illustretur, cum ad liberiorem Taciti participiorum usum rectius intellegendum permultum conferat.

---

1) Ottonem ad Tac. ann. III, 55, 5 offendere videtur Plin. ep. VII, 20 *tu mihi maxime imitabilis maxime imitandus videbaris,* nam certum quoddam discrimen intercedere inter adiectivum imitabilis et participium imitandus patet. ac mea quidem sententia praeeunte adiectivo imitabilis indicatur participium imitandus hoc loco usitatam habere significationem, quippe quod praedicet aliquid fieri prorsus debere, cum imitabilis is sit, qui dignus est imitatione, sed quem imitari haud ita opus est.

Sicut ann. I, 28 *noctem minacem et in scelus erupturam fors lenivit.* I, 44 *supplices ad haec et vera exprobrari fatentes orabant.* I, 49 *quos simul vescentis dies simul quietos nox habuerat.* I, 50 *ex duobus itineribus breve et solitum sequatur.* I, 51 *sine vulnere milites qui semisomnos inermos et palantes ceciderunt.* ib. *sed hostes donec agmen per saltus porrigeretur immoti dein latera et frontem modice assultantes tota vi novissimos incurrere.* I, 57 *uxor Arminiae .... neque victa in lacrimas neque voce supplex compressis intra sinum manibus gravidum uterum intuens.* I, 59 *ut quibus bellum invitis aut cupientibus erat.* I, 70 *pernoctavere sine utensilibus sine igni magna pars nuda aut mulcato corpore.* II, 67 *quamvis ambiguum et scelera sua reputantem perpulit.* II, 74 *dein Marsus seniori et acrius tendenti Sextio concessit.* III, 15 *Tiberium sine miseratione sine ira obstinatum clausumque vidit.* III, 32 *deligendum pro consule gnarum militiae corpore validum et bello suffecturum.* III, 39 *semermi ac palantes trucidati sunt.* III, 69 *ne verterent sapienter referta et semper placita.* IV, 11 *incredibilia avide accepta veris neque in miraculum corruptis ante habeant.* IV, 38 *hae pulcherrimae effigies et mansurae.* V, 11 *mansere infensi ac minitantes.* VI, 1 *ambiguus an urbem intraret seu quia contra destinaverat spem venturi simulans.* XII, 9 *aetati utriusque non absurdum et maiora patefacturum erat.* XII, 44 *ignaro et ornante insuper Mithridate.* XIII, 40 *iusserat ut instantibus comminus resisterent refugos non sequerentur.* XIV, 46 *verum et tibi valida aetas rebusque et fructui rerum sufficiens.* XV, 15 *pavido milite et concedente.* XV, 35 *quamvis sontem et defensioni merito diffisum.* XVI, 11 *relinquerent suos superstites et morituros.* XVI, 18 *dicta factaque eius quanto solutiora et quandam sui neglegentiam praeferentur.* XVI, 26 *cohibuit spiritus eius Thrasea ne vana et reo non profutura.* hist. I, 7 *servorum manus subitis avidae et tanquam apud senem festinantes.* I, 34 *inter gaudentes et incuriosos.* I, 75 *ut bello impares in pace nihil omissuri.* II, 30 *victi et ignavi.* II, 42 *quamquam dispersi pauciores fessi.* II, 48 *placidus ore intrepidus verbis intempestivas suorum lacrimas coercens.* II, 49 *Othoni sepulcrum exstructum est modicum et mansurum.* Agric. 34 *ignavorum et metuentium.* dial. 22 *firmus paries et duraturus.* 10 *personam notabilem et cum auctoritate dicturam.* 34 *magnam illam et duraturam eloquentiam.*

Vellei et Sallustii vix quidquam est, quod iure huc referamus.

§ 6.

De participiis, quae substantivorum instar usurpantur.

Quoniam lingua Latina substantivorum numero non abundat, scriptores cum aliis supplementis tum participiis in modum substantivorum usurpatis eam inopiam compensare student. quae res cum non modo per se digna ad cognoscendum sit, sed etiam ideo maioris momenti esse videatur, quod quanta arte scriptores claudicantem ut ita dicamus linguam sustentarint inde vel maxime elucet, quaerere utile est, quibus finibus apud Sallustium, Velleium, Tacitum hic usus circumscribatur.

A. De participio praesentis.

Quamquam exemplorum huius generis apud Sallustium magna, apud Velleium Tacitumque maxima et varietas et abundantia invenitur, tamen illi participii praesentis **nominativo singularis** qui substantivi vice fungitur abstinuisse videntur. locutiones igitur quales sunt Senec. de ira I, 4 *quo distet ira ab iracundia apparet quo ebrius ab ebrioso et timens a timido*, Quintil. VIII, 3, 5 *quo maxime deprehenditur carens arte oratoria* apud Sallustium, Velleium, Tacitum non habent, quibuscum comparentur. quam rem cave ne parvi aestimes, quoniam non saepe factum est, ut qua libertate Cicero usus non est, eandem et Sallustius et Velleius et Tacitus repudiarint. neque Livius discrimen excitare videtur, siquidem ex grammaticorum silentio hoc concludendum esse putes. **pluralis** autem **numeri** unum Sallustii exemplum nobis praesto est: Cat. 2, 8 *multi mortales .... vitam sicuti peregrinantes transiere.* eo maiore studio Tacitus usum **nominativi** participii praesentis **generis neutrius** loco substantivi positi amplexus est, qua in re eadem et linguae Latinae et Germanicae consuetudo est, nam etiam nos participium praesentis generis neutr. anteposito articulo substantivi instar usurpamus, sicut das bevorstehende — imminentia, quamquam talia pluribus exponere lingua nostra solemus, ut odio praesentium, aus hass über die gegenwärtige lage der dinge vel humentia, die sumpfigen stellen.

Cum hoc genus a Vellei et Sallustii usu loquendi alienum sit, apud Livium et classicos scriptores illa participia sola admittuntur, quibus temporis notio inhaeret. sed insolentiores sunt locutiones neque apud classicos exstant, quales sequuntur:

Tac. ann. I, 45 *sic compositis praesentibus haud minor moles supererat* (accidit praeterea in hoc exemplo, ut participium pro substantivo usurpatum in ablativo absoluto prolatum sit — compositis praesentibus = praesenti rerum statu composito — qua ex re vel maxime apparet participium substantivi vim plane sibi vindicasse) I, 65 *coepta luce missae in latera legiones metu an contumacia locum deseruere capto propere campo humentia ultra.* I, 79 *nec Reatini silebant Velinum lacum qua in Narem effunditur obstrui recusantes quippe in adiacentia erupturum.* III, 28 *velut parens omnium populus vacantia teneret.* IV, 3 *ut pro honestis et praesentibus flagitiosa et incerta exspectaret.* VI, 48 *documento sequentia erunt.* XII, 69 *congruentia tempori praefatus.* XV, 54 *arreptis suspicionibus .... de consequentibus.* hist. V, 14 *revolutus amnis adiacentibus superfunderetur.* ann. III, 38 *pars turbat praesentia alii montem Haemum transgrediuntur.* III, 44 *multi odio praesentium et cupidine mutationis suis quoque periculis laetabantur.* III, 47 *iturum ut praesentia spectaret.* IV, 69 *praeterita et instantia cumulat.* V, 4 *dum imminentium oblitus incerta pavet.* V, 9 *filius imminentium intellegens.* VI, 46 *gratia praesentium quam in posteros ambitio.* XV, 9 *Paetus imminentium nescius.* hist. III, 36 *praeterita, instantia, futura pari oblivione dimiserat.*

Eam autem Tacitini sermonis in hac re facilitatem esse, ut omnes casus ad illam accommodentur, inprimis demonstrandum esse videtur. atque omissis hic perpaucis participiis, quae genere neutro utuntur iam indagendum erit, qualis et quantus in casibus obliquis usus ille sit. sic **ablativi singularis** apud Sallustium et Velleium nullum, apud Tacitum unum exemplum invenimus: ann. XIV, 57 *qui finis omnium cum dominante sermonum.* numeri pluralis tria: hist. I, 16 *nos bello et ab aestimantibus adsciti cum invidia quamvis egregii erimus.* I, 45 *certare cum praecurrentibus.* III, 28 *semineces cum exspirantibus volvuntur.*

Etiam Ciceronis exempla admodum pauca esse docet Naegelsbach.[1])

Accusativi pluralis permulta sunt exempla Taciti, nonnulla Sallustii et Vellei, sicut Tac. ann. XIV, 33 *neque fletu et lacrimis auxilium eius orantium flexus est, quin daret profectionis signum et comitantes in partem agminis acciperet.* XVI, 16 *oderim segniter*

1) Lat. Stil. p. 90.

pereuntes. hist. I, 1 *odio adversus dominantes.* I, 5 *severitas eius augebat aspernantes veterem disciplinam atque ita ..... assuefactos.* III, 17 *occursare paventibus retinere cedentes.* I, 34 *inter gaudentes et incuriosos.* I, 35 *adversus blandientes incorruptus.* I, 41 *destricta adversus dubitantes tela.* I, 58 *apud saevientes occidere palam .... licebat.* II, 26 *apud fugientes.* ann. I, 57 *pugnatum in obsidentis.* IV, 25 *adversus eludentis.* IV, 42 *inter obstrepentes.* IV, 51 *adversum resistentis.* VI, 1 *adversum abnuentes.* XII, 16 *adversum irrumpentes valida erant.* Vell. II, 95 *cum .... Plancus .... nec quidquam obicere posset adolescentibus aut obicientes audire quod non agnosceret senex.* Sall. Iug. 3, 2 *nam vi quidem regere patriam aut parentes.* 102, 7 *quia parentis abunde habemus.*

Singularis numeri apud Sallustium et Velleium non exstant exempla; apud Tacitum duo eademque egregia: hist. II, 76 *satis clarus est apud timentem quisquis timetur.* dial. 20 *praecurrit hoc tempore iudex dicentem.*

Iam sequuntur **casus tertii** exempla, in quibus praeter exemplorum multitudinem nihil notabile esse videtur. sicut: Tac. ann. II, 82 *displicere regnantibus civilia filiorum ingenia.* III, 43 *quaeque alia venantibus tela sunt.* III, 49 *arguentibus ad perniciem plus fidei fuit.* III, 54 *dominantibus.* III, 75 *obsequium dominantibus magis probabatur.* IV, 1 *saevientibus vires praebere.* IV, 58 *unde exitii causa multis fuit properum finem vitare coniectantibus vulgantibusque.* IV, 63 *aetas errorem agnoscentibus fecerat.* V, 4 *inserere se dubitantibus.* V, 8 *neque aliud periclitantibus auxilii.* V, 10 *per dolum comitantibus alliciebantur.* VI, 35 *dubitantibus subveniunt.* VI, 36 *absentium aequos praesentibus nobiles.* XI, 6 *quomodo vis morborum pretia medentibus sic fori tabes pecuniam advocatis ferat.* XIII, 18 *capessentibus.* XIV, 22 *consuleret quieti urbis seque prava diffamantibus subtraheret.* XIV, 33 *quod uberrimum spolianti et defendentibus intutum.* XVI, 22 *nova cupientibus auferatur dux et auctor.* hist. I, 14 *deterius interpretantibus tristior habebatur.* I, 21 *dominantibus.* I, 35 *minantibus intrepidus.* I, 58 *postulantibus.* II, 14 *fugientibus.* II, 17 *occupantibus.* II, 24 *subsidium laborantibus.* II, 49 *abeuntibus.* III, 13 *quid dicturos res poscentibus aut prospera aut adversa.* III, 17 *occursare paventibus.* III, 30 *oppugnantibus incitamentum.* III, 59 *nives eluctantibus patuit.* III, 65 *voltus procul visentibus notabantur.* III, 83 *aberat pugnantibus spectator populus.* III, 84 *ea cura etiam morientibus decori exitus fuit.* IV, 78 *vincentibus pravum inter ipsos certamen.* IV, 72

neque solantibus hortantibusve responsa dabant. Agric. 6 *peccantibus.* 10 *remigantibus.* 12 *legentibus.* 18 *sic ad bellum venientibus.* 31 *imperantibus.* 34 *penetrantibus.*[1]) 33 *fugientibus.* Germ. *quem* (deum) *adesse bellantibus credunt.* dial. 13 *imperantibus.* 41 *periclitantibus.* Vell. II, 21 *pugnantibus spectantibusque quam fuerit eventus exitiabilis vix verbis exprimi potest.* II, 114 *non sequentibus disciplinam quatenus exemplo non nocebatur ignovit.* Sall. Iug. 102, 6 *volentibus quam coactis imperitare.*

Rarius invenitur **dativus singularis numeri.** Tac. ann. XIV, 33 *uberrimum spolianti.* hist. I, 58 *punienti vilior.* Vell. II, 41 *secutus deinde est consulatus C. Caesaris, qui scribenti manum inicit.*

Apud Sallustium exempla non suppetunt.

Ac grammatica ratio et significatio in aperto est, dativus enim pendet ab adiectivis aut substantivis aut verbis et indicat, quam ad rem vel personam ea notio, quae his inest, pertineat. sicuti permultos commodi aut incommodi dativos qui vocantur invenias.

Recedunt autem ab hoc vulgari usu ea exempla, in quibus dativus et singularis et pluralis numeri significat iudicandi rationem, e qua res aliqua consideratur itaque talis nobis apparet qualis est.

Huc referendi sunt loci: Tac. hist. I, 27 *requirentibus.* II, 50 *tempora reputantibus initium finemque miraculi cum Othonis exitu competisse.* II, 70 *imperium cupientibus nihil medium inter summum aut praecipitia.* II, 98 *mare quoque etesiarum flatu in Orientem navigantibus secundum, inde adversum erat.* III, 8 *quod per se parvum . . . . magni momenti locum obtinuit reputantibus illic Caecinam genitum.* III, 71 *erant antiquitus porticus in latere clivi dextrae subeuntibus.* IV, 17 *vere reputantibus Gallias suismet viribus cecidisse.* V, 11 *mira specie* (turres) *ac procul intuentibus pares.* Agric. 11 *aestimanti.* Germ. 6 *in universum aestimanti plus penes peditem roboris.* Agric. 18 *aestimantibus.*

Ea ipsa ex re, quod in hanc commentationis nostrae partem locos illos referimus nescio an conieceris nos non assentiri Boettichero[2]) aliisque, qui talia exempla pro dativis absolutis

1) Reicimus pronomen nobis a Kritzio additum, nam non est, cur prothesi non tribuatur sensus generalis.

2) Lexicon Taciteum, pag. 141.

habent, quod quo iure fecerint prorsus non intellegitur. conferamus Tac. Agr. 11 *in universum aestimanti Gallos vicinam insulam occupasse credibile est,* haud dubie ratio grammatica, quae inter dativum *aestimantibus* et ceteras enuntiati partes intercedit, haec est: quae verbis *Gallos vicinam insulam occupasse credibile est* continentur, eius tantum iudicio vera et probabilia esse dicuntur, qui rem in universum aestimat. itaque cum idioma istud ex genuina dativi notione optime explicari possit neque ab vulgari dativi usu ullo modo differat, profecto non est, cur pro dativo absoluto habeas.[1]) in Germanicam autem linguam talia participia non absurde vertas per locutionem vom standpunkte aus. sicut Tac. Agric. 11: *in universum aestimanti* qu. s. vom standpunkte des nach allgemeinen gesichtspunkten urtheilenden ist es glaublich dass qu. s.

Ac Tacitus quidem inter eos, qui hunc usum excoluere, principalem locum obtinet, quippe qui cum omnes antecedentes scriptores hoc dativo non nisi ad rationes loci determinandas usi sint (exceptis Livii locis X, 30; XXVI, 24; XXXVII, 58) primus hos fines egressus elegantissime amplificarit. Sallustius et Velleius neutram speciem admiserunt.

Priusquam ad genetivi casus syntaxin transgrediamur, tres loci proponendi sunt, ubi dativus in locum ablativi cum praepositione ab coniuncti substitutus est, quem usum ex legitima structura participii fut. pass. cum dativo personae coniuncti (mihi aliquid perficiendum est) initium cepisse verisimile est. exempla sunt: Tac. hist. I, 14: *ex aestimatione recta severus deterius interpretantibus tristior habebatur.* III, 65: *voltus procul visentibus notabantur.* V, 7: *modicum id litus et egerentibus inexhaustum.*[2]) etiam ad sub-

1) Dativus is est, quem nos vocamus dativus des interesses, cuius usus speciem exhibet dativus commodi vel incommodi.

Quam dubia fide Draeger hanc rem tractarit, ex forma reputantibus (hist. II, 50) efficias, quam Stil. Tac. § 212[b] ablativum absolutum, at § 50 dativum absolutum esse docet.

2) Procul dubio inexhaustum significat, quod exhauriri non potest. qua occasione de iis participiis perfecti passivi pauca addamus, quae, cum deposita praeteriti temporis significatione rei alicuius statum permanentem designent, in notionem adiectivorum in *-ilis* desinentium transierunt. atque huius usus causam patet positam esse in exiguo numero adiectivorum, quibus indicatur rem aliquam effici posse, quorum a scriptoribus christianorum quae vocantur saeculorum magnam multitudinem procreatam esse constat. prima huius usus amplificandi initia iam apud Velleium inveniuntur (cf.

stantiva hic usus pertinet. cf. hist. I, 11 *duae Mauretaniae, Raetia, Noricum, Thraecia et quae aliae procuratoribus* (= a procuratoribus) *cohibentur.* alios locos collegit Heraeus ad hist. I, 11.

Exemplorum **genetivi** participii praesentis substantivi vice fungentis apud Sallustium, Velleium, Tacitum ampla multitudo est, qua — id quod in antecedentibus monere consulto omisimus — optime demonstratur scriptores quoque, quibus illustrandis nos singularem operam navamus, legi illi indulsisse ab omnibus Latinorum scriptoribus observatae, secundum quam substantivis in *tor* desinentibus personae ita significantur, ut proprietas perpetuo iis inhaerens respiciatur, participiis autem praesentis temporis ita, ut proprietas magis in sensu concreto ut ita dicamus ex actione quadam vel statu non permanente orta fingatur.

Exempla sunt

a) Taciti:

Ann. II, 2 *ubi illam gloriam trucidantium Crassum exturbantium Antonium.* II, 33 *facilem assensum similitudo audientium dedit.* ib. *possidentis.* II, 40 *augebat intuentium visus eximia ipsius species.* II, 54 *consultantium.* III, 4 *promptius apertiusque quam ut meminisse imperitantium crederes.* III, 10 *minas accusantium et hinc preces audit.* III, 25 *ceterum multitudo periclitantium gliscebat.* III, 29 *non sine irrisu audientium.* II, 61 *inquirentium.* III, 35 *specie recusantis.* ib. *adulantium.* III, 40 *praesidentium.* III, 51 *ulciscentium.* III, 65 *tam proiectae servientium patientiae taedebat.* IV, 8 *lugentium.* IV, 9 *audientium.* IV, 11 *dominantium.* IV, 12 *habitum ac voces dolentum . . . . induebat.* IV, 15 *laetas inter audientium affectiones.* IV, 27 *commeantium.* IV, 33 *legentium.* IV, 41 *salutantum.* ib. *affluentium.* IV, 63 *complectentium osculantium.*

---

innarrabilis, quod vocabulum exhibet Sauppe in commentatione de M. Velleio Paterculo, Schweiz. Mus. 1837 I, pag. 177. respicienda etiam sunt, quae congessit Henricus Georges, de elocutione M. Velleii Paterculi pag. 24 squ.).

Loci, qui huc spectant, sunt: Tac. hist. I, 35 ***adversus blandientes incorruptus.*** V, 7 ***modicum id litus et egerentibus inexhaustum.*** Germ. 20 ***inexhausta pubertas.*** Agric. 18 ***nihil arduum aut invictum crediderint.*** 33 ***Agricolam laetum vix munimentis coercitum militem adhortatus.*** ann. IV, 30 ***delatores genus hominum . . . . . poenis quidem nunquam satis coercitum per praemia eliciebantur.*** XV, 21 ***invictus adversum gratiam animus.*** Sall. Iug. ***animus incorruptus.*** 76, 1 ***rex Metello nihil infectum ratus.*** 43, 5 ***adversum divitias invictum animum.*** 91, 7 ***genus hominum mobile, infidum ante neque beneficio neque metu coercitum.***

VI, 16 *periclitantium.* VI, 35 *bellantium.* VI, 36 *absentium.* VI, 42 *oppressa cunctantium dubitatio.* VI, 50 *gratantum.* XI, 22 *Nonius eques Romanus ferro accinctus reperitur in coetu salutantum principem.* ib. *tribuentium.* XI, 33 *asseverantium.* 37 *impetu venientium pulsae fores.* XII, 1 *ut quemque suadentium audierat.* XII, 41 *docentium.* XII, 54 *regentium.* ib. *studia accusantium.* XII, 56 *gubernantium artes.* XIII, 15 *sortentium.* XIII, 18 *ne coetu salutantium frequentaretur.* XIV, 8 *respondentium.* XIV, 25 *irrumpentium.* XIV, 33 *orantium.* XIV, 36 *vincentium.* XIV, 42 *aspernantium.* XIV, 45 *miserantium.* XIV, 49 *decernentium.* XIV, 53 *criminantium.* XIV, 58 *credentium.* XIV, 64 *visentium.* XV, 15 *fabricantium.* XV, 16 *fugientium.* XV, 23 *censentium.* XV, 31 *obtinentium.* XV, 38 *paventium.* ib. *prohibentium.* XV, 57 *torquentium.* XVI, 5 *coeuntium.* XVI, 18 *ut plerique sua haurientium.* XVI, 25 *per silentium pereuntium.* hist. I, 27 *salutantium.* I, 32 *poscentium.* I, 41 *trepidatione terentium.* ib. *non interfuit occidentium.* I, 44 *praemium exposcentium.* I, 47 *per stragem iacentium.* II, 14 *invecta in terga pugnantium classe.* II, 22 *pars subeuntium obruti.* II, 23 *vincentium.* II, 33 *remanentium tractus animus.* II, 50 *legentium animos.* II, 92 *immensis salutantium agminibus.* III, 2 *iuvabit sequi et vestigiis vincentis insistere.* III, 12 *paucis resistentium obverberatis.* III, 16 *acerrimos quisque sequentium fugae ultimus erat.* III, 33 *rapientium.* III, 61 *paucos repugnantium interfecit.* III, 68 *maior hinc clamor obsistentium penatis privatis in Palatium vocantium.* III, 77 *nimio ruentium onere pressos mare hausit.* IV, 15 *sustinentium umeris vibratus dux deligitur.* IV, 22 *spem oppugnantium augebat amplitudo valli.* IV, 30 *superstantium.* IV, 33 *audito proeliantium clamore.* IV, 74 *dominantium.* ib. *convellentium.* V, 6 *medentium.* V, 8 *servientium.* V, 11 *oppugnantium.* Agr. 26 *pugnantium.* 28 *ementium.* 32 *servientium.* 37 *pugnantium.* 40 *occurrentium.* ib. *servientium.* Germ. 11 *coeuntium.* 24 *spectantium.* dial. 13 *salutantium.* 20 *indicantium.* 28 *praecipientium.* 29 *discentium.* 30 *audientium.*

b) Vellei:

II, 35 *orationem omnium levitatem suadentium societate consilii suspectam fecit.* II, 40 *triumphantium.* II, 47 *adversantium.* II, 108 *parentium.*

c) Sallustii:

Iug. 18, 12 *victi omnes in gentem nomenque imperantium con-*

cessere. **Genetivo singularis numeri** scriptores magis abstinuerunt. Tac. ann. II, 33 *possidentis.* III, 35 *recusantis.* XIII, 40 *trepidantis.* XV, 13 *quaerentis.* hist. II, 76 *adulantis.* III, 2 *vincentis.* III, 37 *tribuentis accipientisque.* dial. 41 *regentis.* Nonnunquam hoc participium substantivi abstracti quod vocatur locum obtinet sicut hist. II, 76 *speciem adulantis den anstrich der schmeichelei.* Sallustii et Vellei nulla exempla nobis nota sunt. restat ad participii praesentis usum in omnes partes illustrandum ut pauca dicamus de **genetivo pluralis** substantivi abstracti vice fungenti, quem usum caveas ne cum supra commemorato confundas. sicut Tac. hist. I, 4 *finis Neronis ut laetus primo gaudentium impetu fuerat: in der ersten wallung der freude.* qua ratione hoc idioma nitatur, ne rem actam agere videamur non exponemus, sed ad Naegelsbachium[1]) delegasse sufficiat. atque huius usus ad ornandam orationem admodum apti vestigia iam apud classicos scriptores inveniuntur, quamquam Cicero genetivo substantivum hominum apponere maluit.[2]) posteriores demum scriptores hunc usum saepius admiserunt, sicut Tacitus, cuius dicendi generi accommodatissimus est. Sallustii autem et Vellei exempla nobis praesto non sunt. cf. Tac. ann. II, 1 *cuncta venerantium officia ad Augustum verterat.* XIII, 14 *magna prosequentium multitudine.* hist. I, 4 *finis Neronis ut laetus primo gaudentium impetu fuerat.* I, 5 *nec deerant sermones senium atque avaritiam Galbae increpantium.* I, 13 *rumoribus nihil silentio transmittentium.* I, 22 *coniectura iam et rumore senium Galbae et inventam Othonis computantium persuaserat.* I, 33 *cunctatione nunc segnitia terentium tempus imitari principem discat.* I, 35 *consensu errantium.* II, 21 *exhortationes . . . .. . praetoriarum cohortium decus attollentium.* III, 9 *temeritatem victa arma tractantium incusans.* IV, 52 *orasse ferunt* (Titum) *ne criminantium nuntiis temere accenderetur.* IV, 29 *ubi sonus molientium . . . . dederat.* IV, 32 *vos autem Treveri ceteraeque servientium animae.* IV, 79 *unde metus et iustae preces invocantium.* V, 13 *simul ingens motus excedentium.* Agric. 4 *arcebat eum ab illecebris peccantium.*

Felicissime igitur id accidere vidimus, ut ea structura, quae ad ornandam orationem tam multum confert, in illo Taciti scripto saepissime adhibita sit, in quo dicendi genus ipsum ornatissimum

1) Lat. stil. p. 92.
2) Cf. Naegelsb. p. 93.

atque elegantissimum esse constat. — Consideranda denique certa quaedam species est, cuius Tacitus solus auctor ac patronus nominari potest, quod neque ab aliis scriptoribus eam repetivit neque ex Tacito in aliorum scriptorum consuetudinem transgressa est. conservatur autem illa proprietas his annalium exemplis I, 50 *Caecina . . . . . obstantia silvarum amoliri iubetur.* I, 53 *tunc milites ad caedem missi invenere in prominenti litoris.* I, 65 *barbari . . . . truci sonore subiecta vallium ac resultantis saltus complerent.* II, 16 *ut ripae fluminis cedunt aut prominentia montium resistunt.* huius usus insolentia in eo cernitur, quod participium praesentis (perf. I, 65) generis neutrius, substantivi vice fungens cumque genetivo veri substantivi coniunctum usurpatur pro substantivo ita cum participio coniuncto, ut utrumque eodem numero, casu, genere utatur. ac leviter rem intuenti hic dicendi modus ex nimio inusitati studio ortus esse videtur. sed tamen discrimen inter utramque structuram haud exiguum est. quemadmodum enim in elocutione colendo agrum magis effertur notio colendi, cum in colendo agro amborum verborum notiones in unam tanquam coalescant, ita me iudice locutio obstantia silvarum (ann. I, 50) eo differt ab obstantes silvae, ut in illa maior vis tribuatur verbo obstantia itaque locutio obstantia silvarum propius accedat ad id, quod est universitas ut ita dicamus obstantium silvarum. neque aliam esse rationem censemus locorum ann. I, 53. I, 65. II, 16. sicut I, 53 in prominenti litoris genetivus partitivus litoris dependet de prominenti, quare cavendum est, ne vertas: an dem hervorspringenden gestade, (quod esset in prominenti litore et totam oram prominentem fuisse significaret) sed: an einem vorspringenden theile des gestades. haud dubie autem hic usus profectus est ab simplicioribus locutionibus quales sunt: incertum itineris — subita belli. neque artificiosi cuiusdam sermonis studium causa est huius rei. etenim si dicas incertum itineris, ex variis itineris alicuius rationibus illa potissimum respicitur, quae in partem incerti cadit. a quo sensu vel maxime abhorrere incertum iter libenter omnes concedent. alia exempla affert Draeger[1]) quamquam in omnibus primitiva notio partis sane asservata non est. postremo id monemus non esse casu factum, ut in annalibus,

1) Stil. Tac. p. 28.

quibus nullum Taciti opus perfectius est, haec exempla, quorum similitudo apud nullum alium scriptorem exstat, inveniantur.

Iam usum loquendi in medium proferamus, cui excolendo, quamquam omnes fere scriptores aequabiliore studio eum amplexi sunt, tamen unus alterve maiore elegantia incubuit.

B. De participio perf. pass. pro substantivo verbali posito.

Huius rei apud Ciceronem parcius adhibitae apud Livium[1]) et Tacitum summam abundantiam et varietatem invenimus. atque imprimis memorabilia sunt illa participia, quae verbi naturam adeo amiserunt, ut nonnunquam actiones sine relatione praeteriti temporis significent. ceterum Draeger[2]) valde errat, cum dicat hunc usum a Sallustii scriptis alienum esse.

Sunt autem exempla haec: Tac. ann. I, 78 *ita proximae seditionis male consulta quibus sedecim stipendiorum finem expresserant abolita in posterum.* II, 50 *in se iacta nolle ad cogitationem vocari.* III, 19 *dum alii quoquo modo audita pro compertis gliscebant.* II, 55 *quo properantius destinata inciperet.* III, 42 *interim floris insistere destinatis.* III, 44 *compererat modica esse et vulgatis leviora.* III, 54 *si prohibita impune transcenderis.* III, 69 *ne verterent sapienter reperta et semper placita.* IV, 2 *nepotes adulti moram capitis afferebant.* IV, 9 *ad vana et totiens irrisa revolutus.* VI, 22 *ne nunc incepto longius abierim.* VI, 31 *seque invasura possessa primum Cyro et post Alexandro . . . . per minas iacebat.* ib. *destinata retinens.* XII, 48 *poteretur Radamistus male partis.* XIII, 50 *ne per tot annos sine querella tolerata novis acerbitatibus ad invidiam verterent.* XIV, 18 *Nero probata Strabonis sententia se nihilominus subvenire sociis et usurpata concedere rescripsit.* XIV, 29 *A. Didius legatus . . . . nisi parta retinuerat . . . . morte prohibitus.* XV, 52 *exsequi destinata.* XV, 2 *causa quam armis retinere parta maioribus malueram.* hist. II, 50 *ut conquirere fabulosa et fictis oblectare legentium animos procul gravitate coepti operis crediderim ita vulgatis traditisque demere fidem non ausim.* II, 24 *omnia coepta.* III, 6 *male parta.* III, 33 *abdita scrutari defossa irruere.* III, 39 *palam iussa.* IV, 51 *tanquam terminos aetatis et concessa filio egrederetur.* Vell. II, 88 *male consultorum poenas exsolvit.* 109, 2 *ex male*

1) cf. Luebbert, commentationes syntact. I. Gissae 1871, pag. 20.
2) Stil. Tac. § 211.

dissimulato. II, 32 *data facultate sine rapto vivendi rapinis arcuit.* II, 75 *quis non diversa praesentibus contraria exspectatis aut speret aut timeat.* II, 92 *nisi. quod naturaliter audita visis laudamus libentius.* II, 123. *exspectato maturius.* Sall. Catil. I, 6 *priusquam incipias consulto et ubi consulueris mature facto opus est.* 3, 2 *ficta.* Iug. 108, 2 *consulta.*[1])

Ex numero participiorum perf. **verborum semidep.**, quae apud poetas et posteriores scriptores haud raro substantivorum vice usurpantur, ex Taciti scriptis haec collegimus: ann. II, 39 *ausa eius impedivit taeditas onerariae navis.* III, 66[2]) *obscura initia impudentibus ausis propolluebat.*

Participii perfecti passivi **generis masculini** vice substantivi fungentis usum, qui apud Ciceronem angustissimis finibus circumscriptus est[3]), a Sallustii et Vellei et Taciti sermone non ita alienum esse, qui sequuntur loci documento sunt:

Tac. ann. II, 69 *missi a Pisone incusabantur.* XIII, 29 *deerat robur aetatis eum primum magistratum capessentibus. igitur Nero praetura perfunctos et experientia probatos delegit.* hist. I, 5 *aspernantes veterem disciplinam atque ita . . . . . assuefactos.* I, 79 *provolutis.* Vell. II, 27 *a dispositis in id ipsum interemptus est.* Sall. Iug. 102, 6 *volentibus quam coactis imperitare.*

Atque illum usum illustrare eo plus interest quod inde optime intellegitur Latinae linguae idiomatis alicuius, etsi priores et posteriores scriptores aequabiliore studio ei indulserint, tamen posteriores unum certe novum genus et excogitasse et excoluisse. hoc pertinet ad participia perf. verb. dep. substantivorum vice fungentia, cuius usus quinque exempla ex Taciti, unum ex Vellei scriptis collegimus. Tac. ann. XI, 7 *modum statuit quem egressi repetundarum tenerentur.* hist. I, 1 *incorruptam fidem professis.* III, 20 *non se decus neque pretium eripere tam bene meritis affirmabat.* V, 5 *transgressi in morem eorum idem usurpant.* Vell. II, 40 *pars optimatium refragabatur*

1) Ex Kritzii ad hunc locum annotatione apparet viros doctos de sensu constituendo inter se non consentire. gravissima iudicandi nota in infinitivo *habere* posita esse nobis videtur. si enim *consulta* revera significaret *consulenda*, magna offensio in infinitivo praesentis inesset, cuius loco infinitivum fut. exspectares. hac ratione nos sententiam Kritzii stabilimus.

2) De hoc loco cf. append. crit.

3) Naegelsbach, Lat. Stil. pag. 88.

ne aut .... aut bene meritis praemia ad arbitrium eius (Pompei) *persolverentur.*

C. De participio futuri activi et passivi generis.

a) activi:

Hic usus vel maxime notandus est, quod perbene ex eo intellegitur, quantopere temporis decursu usus loquendi sui dissimilis fieri possit, simulatque a solita via recessit neque raro ipsa ea libenter admisit, quae antea repudiata et sollicite vitata sunt. exempla sunt haec: Tac. ann. VI, 22 *plurimis mortalium non eximitur quin .... ventura destinentur' sed quaedam secus .... cadere fallaciis ignara dicentium.* XI, 34 *non ideo pervicit quin suspensa et quo ducerentur inclinatura responderet.* Sall. Iug. I, 5 *profutura.* — Adduntur exempla, ubi participium masculino genere utitur. Tac. ann. VI, 1 *spem venturi simulans.* VI, 7 *ne pari taedio lecturos afficerent verentur.* XII, 50 *in tempore rebellaturos.* Vell. II, 101 *tum varie ibi se gessit ut nec laudaturum magna nec vituperaturum mediocris materia deficiat.* exempla aliorum scriptorum nobis nota non sunt neque grammatici talia proferunt.

b) passivi:

Etiam haec proprietas quae perpaucis exemplis continetur admodum memorabilis est, nam cum a Tacito prorsus repudietur, Velleio et Sallustio non displicuit. saepe enim fit, ut quae insolentes structurae in Taciti scriptis inveniuntur, eas Velleius et Sallustius respuant, sed rarissime contrarium accidit. neque ceteri scriptores hunc usum amplexi sunt, si quidem de hac re subtili grammaticis fides habenda est. Naegelsbach[1]) enim unum Livii, unum Quintiliani, unum Senecae exemplum commemorat. Sallustii imprimisque Vellei exempla luculentissima sunt: Vell. I, 12 *quia credenda afferebantur.* I, 17 *nisi aspera ac rudia repetas et inventi nomine laudanda.* II, 130 *dolenda adhuc rettulimus veniendum ad erubescenda est.* II, 56 *omnibus audendis paratissimus.* Sall. Cat. 10, 2 *optanda.* Iug. 64, 1 *cui quamquam virtus gloria atque alia optanda bonis superabant tamen inerat contemptor animus et superbia.*

§ 7.

De gerundio cum praepositionibus coniuncto.

Hac in re a consuetudine priorum scriptorum Tacitus, Velleius, Sallustius non recedunt, immo ne est quidem illa varietas,

1) Lat. Stil. pag. 88.

quae in Livii ut exemplo utamur scriptis invenitur. sed hoc mirum non videbitur iis, qui considerarint Tacitum satis multa usui loquendi intulisse, quibus structuras praepositionales vitaret. itaque cum haud opus sit hanc rem per se simplicissimam pluribus verbis explanare, statim exempla ipsa afferamus. ac una praepositio, quae huc spectat, est *ad*, ceteris isti scriptores abstinuerunt.

Tac. ann. II, 42 *si ad precandum veniret.* II, 66 *accommodatiorem ad fallendum.* III, 51 *non senatui libertas ad poenitendum erat.* III, 67 *ad accusandum delectis.* IV, 11 *nullo ad poenitendum regressu.* IV, 26 *gens .... ad satis faciendum populo Romano miserat.* V, 1 *ne spatio quidem ad enitendum dato.* XIV, 8 *si ad visendum venisset.* XVI, 8 *ad praecavendum exterritus erat.* XVI, 10 *ad accusandum.* hist. I, 51 *sed plurima ad fingendum credendumque materies.* II, 8 *pronior ad fallendum fides.* II, 9 *ad prosequendum.* II, 14 *apta ad iaciendum etiam paganorum manus.* I, 79 *inhabile ad resurgendum.* II, 33 *Otho pronus ad decertandum.* II, 40 *ad bellandum.* II, 87 *inhabilis ad parendum.* III, 15 *postero die ad muniendum retentis.* III, 18 *minorem ad resistendum animum dabant.* III, 41 *neque ad fallendum aptus numerus neque ad penetrandum.* IV, 15 *satis virium ad arcendum.* V, 22 *ad fallendum silentio ita coepta caede .... cuncta clamoribus miscebant.* Agric. 7 *ad cohibendum potens.* Vell. 2, 7 *civis Romanos ad censendum ex provinciis in Italiam revocaverant.*[1]) II, 61 *vis ad resi-*

1) Hic locus disserendi de iis gerundiis, quae passivam vim habere videntur, occasionem praebet. sed cum Kritz ad Sall. Iug. 52, 8 hanc rem uberius tractarit, nostra explicatio angustissimis finibus contineatur. atque impugnat Kritz eam sententiam, ex qua exploratum est gerundium haud raro passiva significatione praeditum esse.

Est enim non tam insolentia, quam neglegentia quaedam familiari sermoni propria, quae in talibus locutionibus invenitur errorisque causa erat. nam ex accurata exemplorum perlustratione eam rationem omnibus locis subesse intellegetur, e qua necesse sit subiectum, cui actio gerundio significata tribuitur, et quod non satis manifesto indicatum est, supplere. offensioni etiam est, quod ipsum verbi obiectum nonnunquam ex antecedentibus repeti debet. quibus disputatis facile erit explicare Vell. II, 7, cum verba *maiores .... cives Romanos ad censendum ex provinciis in Italiam revocaverant* hoc sibi velint: maiores ... cives Romanos, ut ii quorum id esset eos censerent, in Italiam revocaverunt.

Sallustii huc spectat locus Iug. 62, 8 *igitur Iugurtha ubi armis virisque et pecunia spoliatus est cum ipse ad imperandum Tisidium vocaretur rursus coepit flectere animum suum et ex mala conscientia digna timere.* —

stendum nulli aderat. II, 67 *nec Planco gratia defuit ad impetrandum.* II, 101 *aliis provinciis ad visendum obitis.* Sall. Cat. 26, 2 *neque illi tamen ad cavendum dolus aut astutiae deerant.* 52, 15 *ad defendendum minores opes.* Iug. 14, 7 *si ad impetrandum nihil causae haberem.* 30, 3 *C. Memmius .... contionibus ad vindicandum hortari.* 59, 1 *priusquam ad pugnandum egrederetur.* hist. II, 41, 4 *neque ego callidam facundiam exercui.* IV, 61, 16 *nunc quaeso considera nobis oppressis utrum firmiorem te ad resistundum an finem belli futurum putes.*

§ 8.

De gerundio quod dependet a nominibus, adiectivis, verbis.

Ut substantiva ex substantivis, adiectivis, verbis pendere possunt, ita etiam participium futuri passivi substantivi vice fungens i. e. gerundium. quamquam id statuendum est discrimen, quod genera genetivi gerundii non tam varia sunt, quam substantivi. patebit enim — id quod ex natura gerundii ipsa intellegitur — genetivum obiectivum principem et solum fere locum tenere.

I. De genetivo qui pendet a substantivis.

Quemadmodum genetivo obiectivo, quo substantivum aliquod utitur, designatur persona aut res, ad quam substantivum illud certam quandam vim affert, ita gerundii genetivo obiectivo definitur actio, quae obiectum quod dicitur illius substantivi est. — Sed quo facilius sit ingentem exemplorum numerum perlustrare, certa quaedam genera distinguere opus est. atque cum omnes genetivi gerundii ad verbales notiones, quae in substantivis exstant, de quibus genetivi dependent, revocari possint, illa ipsa rationem indicare videntur, secundum quam totam materiem disponamus.

A. Genetivus pendet a substantivo, cuius notio verbalis genetivum desiderat.

Ex Sallustio et Velleio nullum, ex Tacito unum substantivum pudor huc pertinet. sicut hist. I, 78 *ipse in suspenso tenuit*

Exempla ex scriptis Ciceronis, Caesaris, Vergilii, Lucretii, Livii, Quintiliani, Iustini, Gellii, quibus omnibus illa interpretatio probatur, Kritz ad Sall. Iug. 62, 8 collegit.

vetandi metu vel agnoscendi pudore. II, 53 *hinc admiratio et plura interrogandi pudor atque omnium animi in Vitellium inclinavere.* substantivis pigritia, impudentia, taedium, quorum eadem ratio est, Tacitus in hac structura abstinuit. apud alios scriptores inveniuntur.[1])

B. Genetivus dependet a substantivo, cuius notio verbalis dativum desiderat.

Huius generis Velleius nullum exemplum praebet, Sallustius unum Iug. 93, 2 *studio legundi.* Taciti duo sunt ann. IV, 16 *omissa confarreandi assuetudine.* hist. IV, 12 *praecipuo nandi studio.* locos autem, ubi substantiva praesidium et consuetudo cum genetivo gerundii coniunguntur, non invenimus. Ciceronis complures sunt sicut fin. I, 10, 35 *quid ex eo est consecutus? laudem et caritatem quae sunt vitae sine metu degendae praesidia firmissima.* Rosc. Amer. 1, 3 *tam etsi non modo ignoscendi ratio verum etiam cognoscendi consuetudo iam de civitate sublata est.*

C. Genetivus pendet a substantivo, cuius notio verbalis cum ablativo casu vulgo coniungitur.

Quaecunque ad hunc usum pertinent substantiva apud Velleium et Tacitum inveniuntur, nullum apud Sallustium. sunt autem: gloria, usus, fiducia, fides. Vell. II, 58, 3 *Antonius convocato senatu velut pacis auctor liberos suos obsides in Capitolium misit fidemque descendendi tuto interfectoribus Caesaris dedit.* Tac. ann. XIII, 39 *unde arta fiducia caput gentis Artaxata aggrediendi.* hist. V, 20 *nec omnia patrandi fiducia.*

D. Genetivus pendet a substantivis, quibus insita est notio verbalis postulans accusativum.

a) apud Tacitum:

Ann. I, 60 *igitur cupido Caesarem invadit solvendi suprema militibus ducique.* I, 77 *spectantium immodestiam exilio multandi potestas praetoribus fieret.* II, 62 *cupido augendi pecuniam.* II, 47 *neque .... effugium subveniebat in aperta prorumpendi.* II, 54 *cupidine veteres locos et fama celebratos noscendi.* III, 27 *licentia quoquo vellent populum agitandi.* III, 46 *praesumpta spes hortandi causas*

1) Cf. Witt, über den genetiv des gerundiums und gerundivums in der lateinischen sprache (Gumbinnen 1874) I, p. 2.

exemerat. III, 60 *licentia*[1]) *et impunitas asyla statuendi.* III, 67 *vinclum et necessitas silendi.* IV, 4 *proficiscendi in provincias consilium refertur.* IV, 7 *primas dominandi spes in arduo.* IV, 18 *cupido novandi.* IV, 48 *spe capiendi.* III, 19 *auctor .... sacerdotia tribuendi.* III, 36 *incedebat .... licentia impune probra et invidiam in bonos excitandi arrepta imagine Caesaris.* III, 63 *cultus numinum utrisque Dianam aut Apollinem venerandi.* III, 73 *dat negotium Blaeso ceteros quidem ad spem proliceret arma sine noxa ponendi.* IV, 1 *intus summa* (accus. pl.) *apiscendi libido.* VI, 23 *tempus subeundi iudicium.* VI, 31 *Parthis mittendi secretos nuntios validissimus auctor fuit Sinnaces.* VI, 43 *spatium exuendi pacta.* V, 4 *materies criminandi.* VI, 7 *facta patribus potestate statuendi de C. Caecilio.* VI, 8 *plurima iuvandi nocendive potentia.* VI, 10 *insolentia parendi.* VI, 16 *de modo credendi possidendique.* VI, 17 *copiam vendendi.* VI, 24 *specie detestandi.* VI, 26 *moriendi consilium cepit.* ib. *nullis moriendi rationibus.* VI, 27 *administrandae Suriae imagine.* VI, 28 *praebuit materiam .... disserendi.* XI, 5 *princeps materiam praedandi patefecerat.* XI, 8 *casus Mithridati datus est occupandi Armeniam.* XI, 12 *nulla fallendi spe.* ib. *potestas deligendi.* XII, 24 *initium condendi.* XII, 28 *cupidine ulciscendi.* XII, 56 *visendi cupidine.* XII, 65 *pares iterum accusandi causas.* XIII, 27 *manu mittendi duas species institutas.* XIII, 5 *edendi gladiatores necessitas.* XIII, 57 *super libidinem cuncta armis agendi.* XV, 33 *cupidine adigebatur Nero proniscas scaenas frequentandi.* XIV, 6 *curam visendi differt.* XIV, 16 *pingendi facultas.* XIV, 20 *nulla cuiquam civium necessitate certandi.* XIV, 21 *populo efflagitandi Graeca certamina a magistratibus causam fore.* XIV, 49 *absolvendi licentiam.* ib. *licentia habendi.* XV, 52 *cupido dominandi.* XV, 73 *verum noscendi cura.* XVI, 15 *causa festinandi.* hist. I, 1 *libidine assentandi.* I, 16 *adoptandi iudicium.* I, 22 *cupidine credendi.* I, 32 *tradito more adulandi.* ib. *eundi .... eandem facultatem.* I, 48 *cupidine visendi.* I, 52 *aviditate imperandi.*[2]) I, 55

1) Ea quoque substantiva huc referimus quorum notio verbalis infinitivum obiectivum qui dicitur desiderat.

2) Nipperdey pro lectione Medicei aviditate imperandi legi vult aviditate imperi dandi quam mutationem improbamus. nam illa lectio satis bonum sensum praebet, si quidem verba de quibus quaestio est referuntur ad falsos amicos (faventes), qui Vitellio in exiguis, sed imperatori ipsi admodum iucundis rebus morem gesserunt, quo facilius in aliis iisque gravioribus rebus favore illius commodo suae imperandi aviditatis abuti

initium erumpendi. I, 78 *vetandi metu.* I, 84 *eligendi facultas.* I, 90 *genus orandi.* ib. *ex more adulandi.* II, 19 *parendi amor.* II, 28 *cura .... tuendi ..... dispergendi.* I, 12 *licentia ac libidine talia loquendi.* II, 2 *illum cupido incessit adeundi visendique templum Paphiae Veneris.* II, 88 *cupidine visendi locum.* III, 25 *festinatione consectandi victores.* IV, 82 *cupido adeundi sacram pedem.* V, 1 *spes .... occupandi principem adhuc vacuum.* I, 78 *spe vulgus alliciendi.* II, 42 *quae causa salutandi.* II, 50 *causa fingendi.* II, 94 *perdendi cura.* III, 15 *specie parandarum copiarum.* III, 19 *maiorem rapiendi licentiam.* III, 20 *cupidinem pugnandi.* III, 32 *praeter insitum praedandi cupidinem.* III, 56 *cura explorandi.* III, 66 *occidendi licentiam.* III, 9 *facta ..... retinendi quae Vitellius indulsisset spe.* III, 82 *ratio cunctandi.* IV, 14 *varia praedandi vocabula.* IV, 25 *cupidine imperitandi.* IV, 29 *neque feriendi neque declinandi providentia.* IV, 48 *minoribus maior aemulandi cura.* IV, 49 *adulandi libidine.* IV, 55 *tulere moras consultandi.* IV, 56 *vicit ratio parcendi.* IV, 62 *coniectis in eum telis initium exsolvendae in posterum culpae fecere.* IV, 73 *eadem semper causa Germanis transcendendi in Gallias.* IV, 82 *cupido adeundi sacram sedem.* V, 5 *generandi amor et moriendi contemptus.* V, 12 *per speciem sacrificandi.* V, 23 *Civilem cupido incessit navalem aciem ostentandi.* Agric. 28 *inscitiam regendi.* 34 *causas rebellandi.* 35 *decus bellandi.* 37 *finis sequendi.* Germ. *auctoritate suadendi magis quam iubendi potestate. inscitia aedificandi.* dial. 24 *partes contradicendi.* 28 *partes assignatis proferendi.* 33 *colligitur eandem esse rationem et percipiendi quae proferas et proferendi quae perceperis.* 38 *modum dicendi.*

b) apud Velleium:

II, 8 *voluntatem peccandi intuebantur.* II, 11 *criminatus ..... morandi in imperiis cupiditatem.* II, 27 *si* (Sulla) *eundem et vincendi et vivendi finem habuisset.* II, 32 *data facultate sine rapto vivendis rapinis arcuit.* II, 39 *certam Hispanis parendi confessionem extorserat parens.* II, 45 *dicendi neque faciendi ullum nisi quem vellet nosset modum.* II, 83 *indicio recte legendi.* II, 17 *ita se gessit ut nullam petendi consulatum cogitationem habere videretur.*

---

possent. accedit, quod, si scribimus imperi dandi, aliud subiectum huius genetivi quod dicitur logicum supplendum est, quam quod est in verbis vocabant et interpretabantur. utinam igitur Heraeus in tertia editione historiarum priorem lectionem retinuisset! Andresen sane hoc minus probaret, cf. Zeitschrift für Gymn.-Wesen, XXXII, p. 254.

II, 44 *hoc consilium sequendi Pompeius causam habuerat.* II, 104 *contingendi manum cupiditas.* II, 125 *profunda confundendi omnia cupiditate.* II, 98 *sine ulla ostentatione agendi.* II, 125 *cum ei pietas rectissima sentiendi et auctoritas quae sentiebat obtinendi superesset.* II, 126 *recte faciendi omnibus aut incussa voluntas aut imposita necessitas.*

c) apud Sallustium:

Cat. 2, 2 *lubidinem dominandi causam belli habere.* 4, 5 *initium narrandi.* 16, 3 *causa peccandi.* 21, 3 *initium agendi.* 39, 3 *ubi primum dubiis rebus novandi spes oblata est.* 51, 34 *finis iugulandi.* 52, 1 *postquam Caesar dicendi finem fecit.* Iug. 15, 1 *postquam rex finem loquendi fecit.* 24, 2 *quem* (Iugurtham) *tanta lubido exstinguendi me invasit.* 26, 2 *quia penes eosdem si advorsaretur cogundi potestas erat.* 31, 22 *nisi deinde faciundi licentia eripitur.* 34, 1 *ubi Memmius dicundi finem fecit.* 35, 9 *metus parendi.* 81, 1 *omnibus locis pugnandi copiam facit.* 84, 6 *tanta lubido cum Mario eundi plerosque invaserat.* 93, 3 *cupido difficilia faciundi.* 104, 2 *legatis potestas Romam eundi fit ab consule.* hist. III, 61, 11 *serviundi finem.* IV, 61, 5 *causa bellandi.*

E) Iam enumeranda erunt substantiva, quae aut revocari possunt ad verba intransitiva aut quam primitivam habuerunt significationem, ea paulatim privata sunt.

1) Substantiva qualia sunt: animus, ambitus, certamen, ars. Tac. ann. IV, 2 *neque senatorio ambitu abstinebat clientes suos honoribus aut provinciis ornandi.* XII, 5 *veniam dicendi ante alios exposcit.* XV, 50 *cepisse impetum Subrius flavus ferebatur in scaena canentem Neronem aggrediendi.* hist. I, 12 *arbitrium eligendi.* I, 19 *ambitu remanendi aut eundi.* II, 23 *pugnandi ardore.* IV, 78 *obstitit vincentibus pravum inter ipsos certamen*[1]) *amisso hoste spolia consectandi.* I, 68 *certamen luctandi.* Vell. II, 4 *si is occupandae rei publicae animum habuisset iure caesum.*

2) Ius; praeterea huc pertinet peculiari usu vocabulum commeatus (est enim commeatus ius per certum quoddam tempus de statione discedendi). Tac. ann. VI, 3 *ius sedendi.* XII, 54 *ius statuendi.* XIII, 54 *ius ducendi in hostem.* hist. V, 12 *empto iure muniendi struxere muros.* Vell. II, 99 *veritus ne fulgor suus orien-*

1) De hoc loco cf. append. critic.

tium iuvenum obstaret initiis dissimulata causa consilii sui commeatum ab socero atque eodem vitrico adquiescendi a continuatione laborum petiit.

3) Vis. Tac. ann. III, 70 *non enim debere eripi patribus vim statuendi.* XV, 34 *vi nocendi.* Vell. II, 108 *vim ac potestatem resistendi.*

F. Alia exstant substantiva, quae cum genetivo gerundii coniunguntur,

non ut designent eam rem, ad quam actio pertinet, sed ut multifarias alias rationes definiant. potest enim subesse notio eius rei ad quam perficiendam aliquid suscipitur. huc pertinent substantiva tempus, locus, via, spatium, qua pro structura etiam praepositio ad cum accusativo adhiberi potest. nonnunquam genetivus originem alicuius rei designat (intemperantia) multoque autem saepius provinciam, in qua quis negotia expedire solet. huc spectant substantiva: artifex, dux, minister, socius, constantia, modus, pietas, temeritas. Tac. ann. IV, 23 *erat illi praedarum receptor ac socius populandi rex Garamantum.* VI, 29 *pretium festinandi.* XI, 8 *casus Mithridati datus est occupandi Armeniam.* XIII, 30 *spatium vivendi.* XV, 14 *copia . . . mittendi.* hist. III, 6 *placuit occasio invadendi incuriosos.* III, 40 *agendi tempora consultando absumpsit.* IV, 49 *duo itinera audendi.* IV, 65 *sumpto consultandi spatio.* hic praeterea enumeranda sunt Tac. ann. XI, 61 *artem medendi.* ib. *data dicendi copia.* hist. I, 36 *adeundi locus.* I, 69 *dicendi artem.* II, 1 *intemperantia .... multos destinandi.* II, 25 *spatium refugiendi.* III, 6 *placuit occasio invadendi incuriosos.* III, 10 *mulcendi vulgus artes et auctoritas.* III, 52 *cunctandi utilitates.* III, 59 *varias fallendi artes.* IV, 58 *trahendi artes.* Agr. 2 *loquendi audiendique commercio.* 16 *comitate quadam curandi.* Germ. 24 *tanta lucrandi perdendive temeritate.* Vell. II, 41 *celeritate bellandi.* II, 3 *latissime evagandi sibi viam faciunt.* II, 23 *rebellandi tempus.* II, 60 *loquendi tempus dedit.* II, 16 *materia adipiscendi triumphalia defectus est.* II, 85 *pugnandi duravit constantia.* II, 112 *copiam pugnandi.* II, 115 *materia adipiscendi.* II, 125 *cum ei pietas rectissima sentiendi et auctoritas quae sentiebat obtinendi superesset.* Sall. Cat. 24, 2 *princeps fuit belli faciundi.* 51, 3 *magna mihi copia est memorandi.* 56, 4 *occasionem pugnandi non dare.* Iug. 18, 5 *quia neque materia in agris neque ab Hispanis emundi aut mutandi copia erat.* 38, 6 *locum hostibus introeundi dedit.* 50, 4 *neque contra feriundi aut conserundi*

manum copia erat. 52, 3 *copiam pugnandi fieri.* 61, 4 *copia fallundi.* 82, 1 *omnibus loci pugnandi copiam facit.* 85, 6 *nobilitatem locum invadendi quaerere.*

His exemplis optime demonstratur, quam libenter inprimis Tacitus in usu talium substantivorum cum genetivo gerundii coniungendorum amplificando versatus sit.

Iam vero, qui paulo studiosius in antecedentium exemplorum vim et naturam se insinuaverit, eum haudquaquam huius usus id genus fugere potuit, in quo genetivo gerundii obiectivo additur genetivus quem dicunt subiectivus sicut Tac. hist. I, 22 *Otho tamquam peritia et monitu fatorum praedicta accipiebat cupidine ingenii humani libentius obscura credendi.* Witt l. l. etiam Tac. ann. XV, 51 huc pertinere censet, quamquam genetivus Neronis — id quod virum illum doctissimum fugisse videtur — ne caret quidem omni dubitatione, est enim genuina lectio Neroni, quam in Neronis mutare non intellegitur cur opus sit. etiam Halm dativo patrocinatur.

II. De genetivo qui dependet de adiectivis.

Adiectiva huc spectantia a grammaticis haud absurde relativa nominari solent. quamquam enim per se certam quandam notionem explent, tamen in iusto enuntiato adhiberi nequeunt, nisi res additur, ad quam notio adiectivi refertur. haec res genetivo casu utitur. sed quod Witt p. 29 disputat mirum esse, cur cum usus gerundii antecedente substantivo frequentissimus sit, gerundii anteposito adiectivo angustissimis finibus contineatur, id cuivis apparebit ad Tacitum minus quadrare.[1]) intercedit enim inter Tacitum ceterosque scriptores id discriminis, ut ille numerum adiectivorum, quae huic usui inserviunt, late amplificarit etiam talibus adiectivis admissis, quae secundum primitivam significationem relativa non sunt. quo fit, ut iure contendas Taciti in hoc usu varietatem nullum alium scriptorem adaequasse. Sallustius et Velleius modum a classicis scriptoribus constitutum non excesserunt. ceterum optime hunc in modum Latini sermonis inopiae occurri, qua laborat ob deficientem facultatem uno vocabulo duas sententias componendi per se patet. summam apud Graecos et Germanos abundantiam esse constat. (lernbegierig — φιλομαθής — discendi cupidus.) iam exempla ipsa enumeremus

1) Cf. etiam pag. 57, ubi gerundivi usus tractatur.

atque prout usus plus minusve insolens est quattuor genera discernamus.

a) adiectiva qualia sunt: avidus, capax, conscius, cupidus, ignarus, incuriosus, insolens, nescius, pavidus, properus, sciens, prudens sim. Tac. ann. III, 1 *nescia tolerandi.* III, 67 *orandi nescius.* III, 69 *prudens moderandi.* VI, 25 *dominandi avida.* XV, 56 *arguendi peritior.* XV, 68 *audiendi quae faceret insolens erat.* hist. III, 70 *neque iubendi neque vetandi potens.* V, 14 *miles Romanus armis gravis et nandi pavidus.* Vell. II, 29 *capax recta discendi ingenium.* II, 97 *sub legato M. Lollio homine in omnia pecuniae quam recte faciendi cupidiore.* Sall. Iug. 70, 5 *cupidus incoepta patrandi.*

b) adiectiva qualia sunt: doctus, peritus, imperitus, certus, ambiguus, rudis, vetus, particeps, exsors sim. Tac. ann. I, 7 *ambiguus imperandi.* I, 29 *Drusus rudis dicendi.* VI, 44 *vetus* (= peritus) *regnandi.* hist. V, 6 *periti imperitique nandi perinde attolluntur.* Vell. II, 79 *parendi . . . . scientissimus.*

c) melior: Tac. ann. III, 74 *quia ille robore exercitus impar furendi melior pluris per globos incursaret.*

d) adiectiva qualia sunt: primus, praecipuus, validus, largus sim. Tac. ann. IV, 21 *relatum et de Cassio Severo exsule qui sordidae originis maleficae vitae sed orandi validus per immodicas inimicitias ut iudicio iurati senatus Cretam amoveretur effecerat.* Sall. hist. I, 41, 11 *agitandi inops.*

III. De genetivo qui dependet a participiis praesentis temporis.

Quoniam in usu, quem tractamus, Tacitus maximam varietatem prae se fert, nihil offensionis habere potest, si etiam nonnullorum verborum participia praesentis temporis perinde atque adiectiva relativa usurpantur. talia participia sunt: cupiens, tolerans, obtegens, intellegens, sciens. quamquam autem haec participia non omnia cum genetivo gerundii coniuncta sunt, sed pauca eorum etiam cum substantivis, tamen hic commemorare non ineptum est.

Tac. ann. IV, 1 *corpus illi laborum tolerans animus audax sui obtegens in alios criminatur.* hist. V, 9 *imminentium intellegens.* Vell. II, 79 *parendi . . . . scientissimus.* II, 88 *agendi sciens.* Tac. ann. VI, 26 *omnis divini humanique iuris sciens.*

Ceterum iam Cicero voc. sciens in modum adiectivi rela-

tivi usurpat. Cic. de or. I, 49 *M. Scaurus vir regendae rei publicae scientissimus.* audacius est, cum participium fut. pass. vice adiectivi relativi fungatur sicut. Tac. ann. XIV, 40 *neque morum spernendus habebatur.* similia apud ceteros scriptores non inveniuntur.

IV. De genetivo qui dependet de verbo.

Huius usus exempla praeter Tacitum apud nullum scriptorem suppetunt. iam Witt loci unius mentionem fecit. ann. II, 43 *et Placinam haud dubie Augusta monuit aemulatione muliebri Agrippinam insectandi.* quo de loco pauca dicenda sunt, nam ratio grammatica non ita facilis intellectu est, ut omnes grammatici putent illud exemplum cadere in id genus, cui attribuimus; quare quid rei sit accuratius videamus. ac duae exstant interpretationes. secundum alteram, cui Roth ad Tac. Agr. p. 266 patrocinatur, verbum monuit absolute positum est, neque ulla ratio est inter illud vocabulum et gerundium insectandi, quod de ablativo muliebri aemulatione dependet, quae ipsa verba absolute prolata sunt. quare vertendum est: sicher ist, dass die kaiserin der Plancina winke gegeben, in weiblich eifersüchtigem bestreben, Agrippina zu kränken. hac in explicatione, cui etiam Emanuel Hoffmann[1]) assentiri videtur, nihil est offensionis, si discesseris ab interpretatione verbi monuit. hoc enim quo spectet prorsus intellegi non potest. in antecedentibus nulla invenitur admonitio; attamen ad rem aliquam referatur necesse est. quare manifesto patet Ad. Stahrium verba illa violentius vertisse, cum dixerit: in betreff der Plancina ist es unzweifelhaft, dass ihr die A. in weiblich eifersüchtigem bestreben sich der Agrippina feindselig zu erweisen solche winke gab. tanquam si verbo monuit adiectum esset voc. talia. haec igitur interpretatio prorsus ferri nequit. neque minus altera nobis displicet, cui — a Wittio inventae — Draeger haud cunctanter assentitur. existimant enim illi viri docti genetivum gerundii dependere de verbo monuit et aemulatione muliebri esse ablativum instrumenti: unzweifelhaft hat auch die A. der Plancina einen wink gegeben, durch ein weiblich eifersüchtiges bestreben (nach gleichstellung) die Agripp. zu kränken. huic interpretationi obstat, quod ex voc. muliebri apparet Tacitum verbis aem. mul. suum ipsius expromere iudicium; quae cum ita sint, nihil est, cur verba aem.

1) Jahrb. f. phil. u. päd. CIX, p. 548.

mul. ad genetivum insectandi referas. subsequentia autem verba divisa namque qu. squ. ad quaestionem persolvendam nihil valent, nam ad utramque interpretationem quadrant, quod Roth l. c. nulla probabili causa negat. itaque interpretationem, quae talibus offensionibus caret, nos proponere confidimus, si concedimus insectandi genetivum dependere de monuit verbo, sed statuimus verba aemulatione muliebri parenthesis in modum inserta esse ita, ut aemulatione muliebri non multum absit ab: qua erat (Augusta) muliebri aemulatione vel: id quod ex muliebri aemulatione eius apparet. et vertendum est: Ohne zweifel hat Augusta der Planc. zur verfolgung der Agrippina — wie es sich von der weiblichen eifersucht der Augusta nicht anders erwarten lässt — winke gegeben. huic enim dicendi usui, cuius insolentia in brevitate posita est, Tacitus saepe inservit, sicut ann. XII, 61 *sed Claudius facilitate solita quae uni concesserat nullis extrinsecus adiumentis velavit*, ubi facilitate solita aeque valere atque id quod ex facilitate eius solita intellegitur manifestum est. hac igitur ratione putamus vitia, quibus interpretationes, quarum supra mentionem fecimus, laborant, omnia vitari. in rariore autem verbi monuit structura nihil est offensionis reputanti omnino Tacitum in usu gerundii a consuetudine ceterorum scriptorum longe recessisse. nihil enim aliud ille nostro loco commisit, nisi ut pro genetivo substantivi substitueret genetivum infinitivi substantivi in modum usurpati h. e. genetivum gerundii. quae res apud Tacitum ita exemplis non eget, ut multa audaciora ei concedenda sint; ceterum ne similem structuram frustra quaeras cf. Donatum praef. ad Ter. Adelph.: *metuentes, ne quis fastidiosus finito actu velut admonitus abeundi reliquae comoediae fiat contemptor et surgat.* quae cum ita sint, locus noster coniecturis temptandus non est; neque enim defuere, qui contra auctoritatem omnium codicum verba ista mutanda esse censerent. erant autem critici sermonis Tacitini peritissimi Madvig et Halm. cum enim existiment, syllabam di in voc. insectandi ex sequente participio divisa male repetitam esse, scribunt insectans. sed omissis aliis argumentis, quoniam mutatio aliqua emendatio nominari nequit, nisi difficultates, quae in explicando loco obstant, removet — manet autem principalis difficultas, quae inest in usu verbi monuit nulla voce, ad quam pertineat, apposita — apparet Madvigii, quem Halm et Orelli secuti sunt, mutationem haud dubie esse improbandam.

§ 9.

De gerundio, quod non tam ad certam quandam vocem pertinet, quam ad totum enuntiatum.

A. De gerundii ablativo qui vocatur instrumentali.

Quam vim et potestatem ablativus instrumentalis apud Latinos prae se ferat satis notum est neque minus constat etiam ad gerundium eum esse translatum. hoc autem multo saepius fieri, quam pro praeceptis grammaticorum vulgarium putare possis, quae sequuntur exemplа documento sunt.

a) Taciti:

I, 26 *addidit munificentiam Caesar quantum damni professus erat exsolvendo.* III, 60 *imaginem antiquitatis senatui praebebat postulata provinciarum ad disquisitionem patrum mittendo.* IV, 2 *vim praefecturae modicam ante intendit dispersas per urbem cohortes una in castra conducendo.* IV, 25 *ruendo in tela captivitatem haud inulta morte effugit.* V, 6 *memoriam nostri . . . . laeti retineatis adiciendo me quoque iis qui fine egregio publica mala effugerunt.* VI, 43 *assidendo castellum . . . . dedit spatium.* VI, 45 *imitando amorem iuvenem illicere.* II, 22 *illi supplices nihil abnuendo veniam omnium accepere.* XI, 38 *iuvit oblivionem eius senatus censendo nomen et effigies demovendas.* XII, 3 *crebro venditando pellicit patruum.* XII, 19 *bellorum egregios fines quotiens ignoscendo transigatur.* XII, 52 *moti* (scil. ordine senatorio) *qui remanendo impudentiam paupertati adicerent.* XIV, 3 *praesumendo remedia munierat corpus.* XIV, 20 *degeneret studiis externis iuventus gymnasia et otia et turpes amores exercendo.* XIV, 28 *auxit patrum honorem statuendo.* XIV, 46 *praevaricando ultionem elusurus.* XV, 1 *modice quaerendo gravior erat.* XIII, 50 *impetum eius . . . . attinuere senatores dissolutionem imperii docendo si fructus . . . . deminuerentur.* XIII, 54 *Dubius Avitus . . . . minitando vim Romanam . . . perpulit Verritum et Malorigem preces suscipere.* XV, 63 *ipse viscendo eius tormenta impatientiam delaberetur.* XVI, 10 *tanquam vivendo.* XV, 59 *multa experiendo confieri.* XVI, 7 *nova insuper invidia Nero complevit prohibendo C. Cassium officio exsequiarum.* hist. I, 30 *quiescendo.* I, 69 *meliora constantius postulando.* I, 87 *criminando.* II, 11 *eligendo.* II, 48 *remanendo.* III, 18 *pugnando fessum.* III, 20 *duces providendo, consultando, cunctatione saepius quam temeritate prodesse.* III, 39 *addidit facinori fidem notabili*

gaudio Blaesum visendo. III, 42 *monendo terruit.* III, 54 *remittendo.* IV, 14 *iuventus ad dilectum vocabatur quem suapte natura gravem onerabat ministri avaritia et luxu senes aut invalidos conquirendo.* IV, 17 *remittendo.* IV, 19 *multa concedendo nihil aliud effecerat.* IV, 41 *miscendo quae defendere nequibat.* Agric. 15 *interpretando accendere.* 20 *comprimendo.* dial. 14 *vitam componendo spem hominibus fecisti plurium eiusmodi liberorum.* 27 *maiores tuos lacessendo.* 36 *urendo clarescit.* ann. IV, 52 *capessendis accusationibus aut reos tutando prosperiore eloquentiae quam morum fama erat.*[1]) hist. IV, 26 *muniendo vallandoque et ceteris belli meditamentis militem firmabant.*

b) Vellei:

II, 7 *quidquid tumultuando adipisci gestierunt.* II, 16 *populus Romanus gratiam rettulit ipsum viritim civitate donando duos filios eius creando praetores.* ib. *recipiendo in civitatem qui arma aut non receperant aut .... vires refectae sunt.* II, 44 *animadvertebat* (Caesar) *se cedendo Pompei gloriae aucturum suam.* II, 56 *alterum promittendo consulatum non obligaverat contra differendo Cassium offenderat.* II, 66 *nihil egisti mercedem coelestissimi oris et clarissimi capitis abscisi numerando.* II, 80 *dissidendo in conciliis Caesari et semper diversa iis quae aliis placebant dicendo totam victoriam ut suam interpretabatur.* II, 108 *exercendo praeparabat.* II, 120 *mature ad inferiora hiberna descendendo vacillantium etiam cis Rhenum sitarum gentium animos confirmavit.* II, 176 *facere recte civis suos princeps optimus faciendo docet.*

c) Sallustii:

Cat. 7, 7 *memorare possem .... quos urbis natura munitas pignando ceperit.* 26, 3 *multa pollicendo per Fulviam effecerat.* 38, 1 *coepere senatum criminando plebem exagitare dein largiundo atque pollicitando magis incendere.* 42, 2 *festinando, agitando omnia plus timoris quam periculi effecerant.* 43, 3 *illos dubitando et dies prolatando magnas opportunitates corrumpere.* 49, 4 *ipsi singulatim circumeundo atque ementiundo .... magnam illi* (Caesari) *invidiam conflaverant.* 52, 29 *vigilando, agundo, bene consulundo prospere omnia cedunt.* 54, 3 *Caesar dando, sublevando, ignoscundo Cato nihil largiundo gloriam adeptus est.* 59, 6 *ea commemorando mili-*

1) Cur hoc loco et gerundivi structura et gerundii una adhibeatur, quamquam prorsus eadem ratio subest, non nisi ex variandi studio concinnitatisque odio intellegitur.

tum animos accendebat. Iug. 1, 2 *contra reputando neque maius aliud se fatigando nisi odium quaerere extremae dementiae est.* 4, 2 *ne per insolentiam quis existumet memet studium meum laudando extollere.* 7, 2 *sperans vel ostentando virtutem vel hostium saevitia facile ad eum occasurum.* 8, 1 *fuere complures novi atque nobiles .... qui Iugurthae non mediocrem animum pollicitando accendebant.* 13, 6 *quaecunque possint largiundo parare ne cunctentur.* 16, 3 *dando et pollicendo multa perfecit.* 23, 1 *suos hortando ad virtutem arrigere.* 23, 2 *eos multa pollicendo ac miserando casum suum confirmat.* 25, 10 *ne amplius morando Scaurum .... incenderet.* 27, 1 *ministri regis interpellando ac saepe gratia interdum iurgiis trahendo tempus atrocitatem facti leniebant.* 31, 27 *ne ignoscundo malis bonos perditum eatis.* 43, 4 *ad ea patranda ... reges ultro auxilia mittundo postremo omnis civitas summo studio annitebatur.* 66, 1 *civitatis quae ab se defecerant formidine aut ostentando praemia affectare.* 70, 2 *omnia temptando socium sibi adiungit Nabdalsam.* 81, 4 *ne moras agitando aliud quam bellum mallet.* 84, 2 *ambiundo cogere homines emeritis stipendiis secum proficisci.* 85, 13 *quae illi literis ea ego militando didici.* 102, 5 *te talem virum* (Bocchum) *di monuere uti aliquando pacem quam bellum malles neu te optimum cum pessimo omnium Iugurtha miscendo commaculares.* hist. I, 41, 1 *ne quae ipsi nefanda existumatis ea parum credundo de aliis circumveniamini.* I, 48, 6 *ceterum illi qui gentis Aemiliae bene facta extollebant et ignoscundo populi Romani magnitudinem auxisse nusquam etiam tum Lepidum progressum aiebant.* ib. *sibi quisque opes aut patrocinia quaerundo consilium publicum corruperunt.* ib. 17 *quo usque cunctando rem publicam intutam patiemini.* II, 96, 2 *fessus scribundo mittundoque legatos.* III, 61, 16 *magna illa consulum imperia et patrum decreta vos exsequendo rata efficitis.* IV, 61, 20 *audendo et fallundo et bella ex bellis serundo magni facti.*

B. De gerundii ablativo modali.

Quemadmodum ablativus instrumentalis substantivorum ad gerundia translatus est, ita etiam ablativus modalis. atque significatur eo non res, qua aliquid perfectum est, sed potius quomodo aliquid processerit vel quae res actionem principalem tanquam sequantur. hunc autem ablativum ut idioma suo iure utens definivisse inter laudes Madvigii referendum est. ceteri enim ante eum grammatici nullum esse discrimen inter ablativum in-

strumentalem et modalem statuere solebant. libenter igitur Roth, Naegelsbach alii secuti sunt Madvigii sententiam, quamquam Naegelsbach, cum internosceret, quae structurae in genus ablativi modalis cadant, quae non cadant, iustum modum excessit. ea certe, quae Stil. Lat. p. 100 disseruit non omnia esse recta certissimis argumentis infra (cap. IV, § 19) demonstrabimus. iam exempla ipsa proferamus: Tac. ann. I, 10 *etenim Augustus paucis ante annis cum Tiberio tribuniciam potestatem a patribus rursum postularet, quamquam honora oratione quaedam de habitu cultuque et institutis eius iecerat quae velut excusando exprobraret.* II, 67 *centuriones monendo suadendo traxere.* II, 81 *regressus pro muris modo semet afflictando modo singulos nomine sciens praemiis vocans seditionem coeptabat.* IV, 2 *irrepere paulatim militares animos adeundo appellando.* VI, 8 *ausus est eques Romanus . . . . amplecti ad hunc modum apud senatum ordiendo.* III, 31 *Corbulo plurima per Italiam itinera . . . interrupta et impervia clamitando exsecutionem eius negotii libens suscepit.* XI, 24 *maiores mei . . . . hortantur uti paribus consiliis rempublicam capessam transferendo huc quod usquam egregium fuerit.* XII, 44 *aliam ad spem trahere . . . . memorando.* XIV, 5 *Agrippina . . . . nando deinde occursu lenuncularum Lucrinum in lacum vecta villae suae infertur.* XIV, 22 *fontem aquae Marciae ad urbem deductae nando incesserat.* XIII, 53 *invidit operi Aelius Gracilis Belgicae legatus deterrendo Veterem ne legiones aliae provinciae inferret.* XIV, 7 *ad senatum et populum pervaderet naufragium et vulnus et interfectos amicos obiciendo.* XIV, 31 *exturbabant agris captivos servos appellando.* XV, 8 *longinquis itineribus percursando quae obtineri nequibant.* XV, 38 *impetu pervagatum incendium plana primum deinde in edita assurgens et rursus inferiora populando.* XV, 67 *saevitiam apud Neronem iactavit sesquiplaga interfectum a se dicendo.* XV, 57 *clariore exemplo . . . protegendo.* XIII, 47 *suspectabat maxime Cornelium Sullam socors ingenium eius in contrarium trahens callidumque et simulatorem interpretando.* IV, 6 *mandabat honores nobilitatem maiorum claritudinem militiae illustres domi artes spectando.* VI, 38 *multa et atrocia in Macronem ac praecipuos libertorum Caesaris composuit ipsi fluxam senio mentem obiectando.* XI, 26 *mitem . . . rationem adhibuit monendo secum quisque de se consultaret.* hist. I, 24 *alliciendo.* I, 43 *modo manu modo voce vertendo in se percussores.* I, 58 *ignoscere non nisi fallendo licebat.* I, 66 *arma genua vestigia prensando flexere militum animos.* III, 54 *captos Vitellii*

exploratores circumductos . . . . remittendo. III, 61 *augendo rumoribus virtutum copiasque hostium.* I, 77 *pleraque . . . . properando.* II, 29 *huc ferociter iactando.* I, 65 *referendo.* II, 35 *gladiatores navibus molientes Germani nando, perlabebantur.* II, 48 *laudando pietatem eius castigando formidinem.* III, 8 *eadem Mucianus crebris epistolis monebat incruentam se luctu victoriam et alia huiuscemodi praetexendo sed gloriae avidus atque omne belli decus sibi retinens.* IV, 41 *miscendo.* I, 23 *studia militum iam pridem spe successionis aut paratu facinoris affectaverat in itinere in agmine in stationibus vetustissimum quemque militum nomine vocans ac memoria Neroniani comitatus contubernales appellando.* ib. *inserendo querellas.* II, 48 *remanendo.* Agric. 20 *parcendo.* 21 *laudando promptos et castigando segnes.* Germ. 22 *diem noctemque continuare potando nulli probrum.* 24 *si indulseris ebrietati suggerendo quantum concupiscunt.* dial. 11 *arte quadam mitigavit concedendo iis qui causas agere non possent ut versus facerent.* 33 *satis demonstrasse videor docendo quibus artibus.* Vell. II, 62 *cum eam iniuriam dissimulando Caesar ipse ferret.* Sall. Cat. 4, 1 *non fuit consilium . . . agrum colundo aut venando servilibus officiis intentum aetatem agere.* Iug. 7, 4 *modestissime parendo et saepe obviam eundo periculis in tantam claritudinem brevi pervenerat.* 13, 8 *singulos ex senatu ambiundo nitebantur ne gravius in eum consuleretur.* 28, 7 *multos mortales et urbis aliquot pugnando cepit.* 31, 1 *haec atque talia huiuscemodi saepius dicundo Memmius populo persuadet.* 45, 3 *prohibendo a delectis magis quam vindicando exercitum brevi confirmavit.* 46, 4 *paulatim temptando . . . . multa pollicendo minitando obtestando alium alio modo excitare.*

Caput III.

De participiorum usu attributivo.

§ 10.

De participiis cum substantivis pro substantivis verbalibus positis.

Multa sunt in lingua Latina, quorum vim et potestatem is prorsus non intelleget, qui in memoriam non revocaverit Romanos in universum cogitandi ratione magis concreta quae dici-

tur, quam abstracta usos esse. itaque etiam structurae, quae iam explicabitur, natura fert, ut eo solo linguae Latinae studio perspiciatur, secundum quod pro notionibus sola cogitatione ortis res ex ipsa vita petitae usurpantur, ita quidem, ut pro rei alicuius qualitate res, cuius qualitas propria est, ipsa substituatur. iam quod ad vim idiomatis istius pertinet, robur orationis et vigorem optime eo sustentari liquet. quare cum omnino rerum gestarum scriptores illam structuram amplectantur, inprimis Tacitus non modo saepius, sed etiam subtiliore quam alii fecerunt acumine et admirabiliore elegantia ei indulsit. in exemplis autem disponendis examinandisque certum quendam ordinem observare necesse est, ut non modo singulis idiomatis illius generibus intellectis idioma ipsum clarius intellegatur, sed etiam structurae historia exponatur. ita simul apparebit, quatenus usum illum a superioribus scriptoribus iam frequentatum Sallustius et Velleius et Tacitus variarint. in universum eum ordinem observabimus quem Luebbert l. l. indicavit et primo quidem loco de iis exemplis disseremus quae notissimum et simplicissimum dicendi genus prae se ferunt. — Ac vetustissima forma ea esse videtur, quae fit, si notio praedicato inhaerens totius enuntiati rationi inest neque difficilius ex illa suppleri, quam plane omitti potest. quod in iis potissimum exemplis accidere solet, ubi subiecto suapte natura aliqua cum praedicato communio est. sed admodum raro haec forma, quam inprimis Livius amplexus est, apud Tacitum invenitur, cum a Sallustii et Vellei scriptis prorsus aliena sit. cf. ann. I, 59 *fama dediti benigneque excepti Segestis vulgata .... spe vel dolore accipitur.* II, 82 *vulgi sermones audita mors adeo incendit.* hist. IV, 54 *audita mors Vitellii duplicaverat bellum.* — accuratius examines ann. I, 59 *fama dediti benigneque excepti Segestis vulgata .... spe vel dolore accipitur.* in hoc enim exemplo subiecti cum praedicato communio tam arta est, ut illud sine offensione omitti posset, nam fama non nisi divulgata spem vel dolorem commoveri posse per se patet. nec dissimilia sunt, quamquam pro substantivo pronomen positum est: ann. I, 24 *haec audita .... Tiberium perpulere.* I, 52 *nuntiata ea Tiberium laetitia curaque affecere.*

Aliter res sese habet, si nulla communio inter subiectum et praedicatum intercedit ita, ut non modo notio praedicati non insit subiecto, sed hoc ab illo mutatione significationis afficiatur. quod si accidit, qualitas, quam praedicatum

designat ita cum subiecto coalescit, ut ex duabus una fiat notio. sicut: Tac. ann. I, 73: *Rubrio crimini dabatur violatum periurio numen Augusti.* III, 24 *gravi nomine laesarum religionum ac violatae maiestatis.* III, 54 *haec omissa funditus rempublicam trahet.* IV, 44 *bene tolerata paupertas dein magnae opes innocenter paratae et modeste habitae.* VI, 27 *genus illi decorum vivida senectus et non permissa provincia dignationem addiderat.* hist. III, 59 *possessa Mevania.* III, 82 *parta totiens victoria.* Vell. II, 36 *Lentulo gloriae fuit bene tolerata paupertas.* II, 130 *cuius temporis aegritudinem auxit amissa mater.* huc etiam spectat ann. II, 43 *nec posse motum Orientem componi.*

Tertium fit genus, si tantum inter subiectum et praedicatum discrimen est, ut praedicatum notione quam vocant abstracta instructum sit, subiectum concreta. huius speciei apud Livium perpauca exempla suppetunt, nulla apud classicos scriptores. apud Tacitum unum idque luculentissimum ann. I, 8 *cum occisus dictator Caesar aliis pessimum aliis pulcherrimum facinus videretur.* nec minus notandum est illud Vellei. II, 38 *nam Cyprus devicta nullius assignanda gloriae est.* gravissimum autem robur et pondus orationis eae locutiones excitant, in quibus hominum ipsae personae in qualitatis locum substituuntur, nam — id quod Luebbert acutissime monet — ad simplicem actus vel motus significationem consilii et voluntatis notio accedit. huius generis certus quidam modus est, ultra quem scriptores usque ad Taciti aetatem egredi non ausi sunt. quae enim apud Ciceronem et Livium inveniuntur exempla non aliam indolem habent, quam Sallustii illud: Cat. 48, 4 *ne eum Lentulus et Cethegus aliique ex coniuratione deprehensi terrerent* et Taciti illud ann. XII, 69 *ne antepositus filio privignus iniuria et invidia animos vulgi turbaret.* — Alia eaque audaciora e Tacito congessimus, sicut ann. I, 16 *legiones seditio incessit nisi quod mutatus princeps licentiam turbarum ostendebat.* I, 42 *neve occisus Augusti praenepos interfecta Tiberii nurus nocentiores vos faciant.* III, 50 (Lutorius) *qui neque servatus in periculum rei publicae neque interfectus in exemplum ibit.* hist. III, 32 *auxit invidiam editum illic a Caecina gladiatorum spectaculum eademque rursus belli sedes et praebiti in acie Vitellianis cibi caesae quaedam feminae studio partium ad proelium progressae.* IV, 19 *trepidis ministris quos ambiguus auxiliorum animo et subito delectu suppletae legiones angebant.* ann. I, 59 *Arminium super insitam violentiam rapta uxor subiectus*

sevitio uxoris uterus vecordem agebat. — Vellei nullus locus est, qui in hoc idiomatis genus spectet.

Iam transeamus ad participium cum aliis casibus, quam cum nominativo coniunctum. ac **genetivi** quidem structurae duo genera secernenda sunt, prout enim genetivus a verbo dependet, prout a substantivo. in alterum genus cadunt Tac. ann. IV, 21: *secuti sermonis incusavit adversum maiestatem habiti.* VI, 29 *male administratae aliorumque criminum arguebatur.*[1]) generis alterius exempla propius accedunt ad usum dicendi vulgarem omniumque fere scriptorum proprium, sicut: Tac. ann. I, 26 *is orditur de praemiis finitae militiae.* XII, 31 *Ostorius servati civis decus meruit.* XIV, 29 *receptaeque Armeniae decus.* XV, 51 *poenas eversae rei publicae daret.* hist. III, 61 *quo amissi praesidii dedecus lenirent.* Vell. II, 66 *nihil egisti M. Antoni mercedem caelestissimi oris et clarissimi capitis abscisi numerando.* alia rursus huius generis exempla ab usitato dicendi usu recedunt ann. I, 59 *fama dediti benigneque excepti Segestis vulgata .... accipitur.* I, 69 *pervaserat interim circumventi exercitus fama.* II, 25 *famae classis amissae.* II, 75 *luctus amissae sororis.* III, 24 *gravi nomine Caesarum religionum ac violatae maiestatis.* IV, 6 *quoniam Tiberio mutati in deterius principatus initium ille annus attulit.* XII, 5 *nullo exemplo deductae in domum paternae fratris filiae.* hist. II, 91 *in auxilium spretae potestatis advocavit.* III, 78 *obsessi capitolii fama.* IV, 32 *quod praemiitm effusi totiens sanguinis.* Agric. 7 *nuntio affectati a Vespasiano imperii.* Vell. II, 45 *non caruerunt suspicione oppressi Ciceronis Caesar et Pompeius.* II, 117 *funestae ex Germania epistolae nuntium attulere caesi Vari trucidatarumque legionum trium totidemque alarum et sex cohortium.*[2]) Exempla ann. I, 59 et hist. IV, 32 ubi participio adverbium iungitur inprimis commemoranda sunt, quibus demonstretur participium, quamquam intima eius

1) Pro lectione codicum urguebatur, quam Ernesti retinet.

2) Hic locus tam mutilus est, ut ad vera Vellei verba reduci vix possit. tamen verisimile est genetivos *caesi Vari trucidatarumque .... cohortium* dependere de voce aliqua, qualis est nuntius. quod ad primam enuntiati partem pertinet laudamus Halmii non modo coniecturam ipsam, sed etiam verborum nuntium attulere transpositionem supra significatam. extrema autem parte nimis multa verba excidisse videntur, quam ut haud dubiam fidem loco inferre possis. ceterum non inutile est ad Kritzii editionem delegare, in cuius annotationibus totius loci nexus et sensus recte explicatus esse videtur.

cum subiecto communio est, tamen verbi naturam non amisisse. dativo huius structurae Sallustius Velleius Tacitus usi non esse videntur. etiam Livii exempla si amplitudinem scriptorum respicias perpauca sunt.[1]) — Maiore cum delectatione scriptores in accusativi participii perf. pass. cum substantivo coniuncti usu versati sunt, ad quem pertinent Tac. ann. III, 6: *quotiens populus Romanus clades exercitum interitum ducum funditus amissas nobiles familias constanter tulerit.* IV, 42 *Caesar obiectam sibi adversus reos inclementiam . . . amplexus.* III, 66 *obiectant violatum Augusti numen spretam Tiberii maiestatem.* hist. I, 8 *Fonteium Capitonem occisum indignabantur.* I, 60 *Trebellius seditionem et confusum ordinem disciplinae Caelio spoliatas et inopes legiones Caelius Trebellio obiectabat.* Vell. II, 47 *neque defuissent qui . . . . probarent eum civem occisum quo nemo perniciosior rei publicae neque bonis inimicitior vixerat.*

Ceterum Luebberto non assentimur statuenti structurae huius in accusativo positae non eandem libertatem esse, quam in nominativo neque aliter eam admitti nisi ratio aliqua facilis per se ad intellegendum inter obiectum intercedat et praedicatum. quam opinionem non rectam esse et exemplis a Luebberto ipso p. 16 ex Livio et a me ex Tacito et Velleio congestis optime demonstratur.

Iam consideranda videtur ea species, quae ablativo casu utitur, cuius apud Sallustium et Velleium pro amplitudine scriptorum non pauca, apud Tacitum autem tot exstant exempla, ut ex hac ipsa re colligas, etiam a priorum scriptorum usu loquendi hanc structuram non alienam esse potuisse, quod quidem nonnullis exemplis Plautinis Terentianisque a Luebberto collectis (p. 18) demonstratur. ceterum quam mutabilis variisque fortuitis impulsibus linguae historia obnoxia sit etiam hac occasione oblata intellegitur, cum enim structura participii perf. pass. cum substantivo coniuncti in ablativo casu dependens a locutione opus est apud Plautum et Terentium admodum frequens sit, apud Livium et Sallustium (Cat. 31, 7: *ne existimarent sibi . . . . perdita republica opus esse*) paene, apud Velleium et Tacitum prorsus obsoleta est. in exemplis quae infra enumeraturi sumus ablativus participii plerumque a verbis, rarius ab adiectivis pendet, (octo sunt exempla, in quibus adiectivum in verbi locum substituitur. huc pertinet etiam hist. II, 11 *praecipui fama quarta*

1) Cf. Luebbert, p. 18.

decumani rebellione Britanniae compressa, nam caveas, ne ablativum a voce fama pendere existimes, quod si verum esset Tacitus rebellionis compressae scribere debuisset) atque in utroque genere ablativus eam notionem continet, qua indicatur, quomodo id accidere potuerit, quod a verbo vel adiectivo praedicatur. admirabilis autem ars est, qua Sallustius et Velleius inprimisque Tacitus usi sunt in talibus locutionibus cum audacter tum suaviter usurpandis. sicut Tac. ann. III, 8: *Ad Drusum pergit quem haud fratris interitu trucem quam remoto aemulo aequiorem sibi sperabat.* III, 32 *missis ad senatum litteris Tiberius .... docuit.* IV, 14 *conditis per Asiam urbibus ora maris patiebantur.* VI, 30 *Servilius Corneliusque perdito Scauro famosi.* XII, 14 *Gotarzes deminutis hostibus ferox.* hist. I, 4 *laeti usurpata statim libertate.* I, 6 *tardum Galbae iter et cruentum interfectis Cingonio Varrone consule designato et Petronio Turpilidno consulari.* ib. *introitus in urbem trucidatis tot milibus inermium militum infaustus.* I, 61 *adiuncto Britannico exercitu.* I, 66 *armis privatis.* II, 69 *vctitis supplementis.* II, 11 *rebellione compressa.* II, 82 *ne versis ad civile bellum legionibus terga nudarentur.* III, 3 *recitatis epistolis.* III, 6 *abrupto ponte.* III, 48 *clausis subsidiis.* IV, 7 *ne aliis electis posthabitus crederetur.* III, 70 *quantum occisis uno scne et uno iuvene profici.* ann. I, 54 *idem annus novas ceremonias accepit addito sodalium Augustalium sacerdotio.* IV, 14 *Graeci conditis per Asiam urbibus ora maris potiebantur.* IV, 45 *dimisso equo per derepta et via sequentis frustratus est.* IV, 4 *tulit opem Caesar disposito per mensas miliens sestertio factaque mutuandi copia sine usuris per triennium.* VI, 49 *informem exitum delegit iacto in praeceps corpore.* XI, 29 *largitione ac promissis et uxore deiecta plus potentiae ostentando perpulit.* XII, 56 *structo trans Tiberim stagno.* XII, 65 *parum coercitis per Calabriam servorum agminibus pacem Italiae turbaret.* XIII, 9 *datis obsidibus solitam prioribus reverentiam in populum Romanum continuaret.* XIII, 30 *cruciatus aegrae senectae emisso per venas sanguine effugit.* XIII, 53 *Vetus Mosellam atque Ararim facta inter utrumque fossa connectere parabat.* XIV, 38 *auxit copias Caesar missis sex Germania duobus legionarium milibus.* XV, 52 *delecto imperatore alio sui muneris rempublicam faceret.* hist. I, 69 *effusis lacrimis ..... impetravere.* II, 14 *additus perculsis terror invecta in terga pugnantium classe.* II, 17 *raptis quibusdam exploratoribus ita ceteros terruere.* II, 34 *inchoato ponte transitum Padi simulantes.* II, 92 *additis pecu-*

niis. III, 39 *se pavisse oculos spectata inimici morte iactavit.* III, 45 *capto per dolum rege Carataco instruxisse triumphum Claudii Caesaris videbatur.* III, 57 *fictis Vespasiani epistolis pretium proditionis ostentans.* III, 75 *ferebant plerique etiam paci consultum dirempta aemulatione inter duos.* IV, 12 *mox aucta per Britanniam gloria transmissis illuc cohortibus.* Agr. 2 *delegato triumviris ministerio.* 13 *transvectis legionibus auxiliisque et sumpto in partem rerum Vespasiano.* 22 *vastatis nationibus.* Germ. 42 *ipsa sedes pulsis olim Boiis virtute parta.* Vell. I, 8 *eam* (urbem) *asylo facto inter duos lacus auxit.* I, 9 *delectis eius* (Persei) *copiis.* II, 32 *data facultate sine rapto vivendi rapinis arcuit.* Sall. *pro certo creditur necato filio vacuam domum scelestis nuptiis fecisse.* Iug. 83 *eo modo saepe ab utroque missis remissisque nuntiis tempus procedere.* Vell. II, 4 *excisa Carthagine ac Numantia.* Sall. Cat. 46, 2 *laetabatur intellegens coniuratione patefacta civitatem periculis ereptam esse.* 48, 7 *quo facilius appellato Crasso per societatem periculi reliquos illius potentiae tegeret.* 48, 9 *ne Crassus more suo suspecto malorum patrocinio rem publicam conturbaret.* Iug. 14, 5 *veritus ne polluta licentia invidiam accenderet.* hist. IV, 61, 12 *incepta mea postremus servorum Archelaus exercitu prodito impedivit.*

Haud raro fit, ut participii pro substantivo verbali positi structura pendeat a praepositione. exempla sunt: Tac. ann. I, 50 *ob amissum Augustum.* I, 53 *post interfectum Posthumum Agrippam.* II, 41 *ob recepta signa.* III, 11 *ob receptum Maroboduum.* III, 36 *ob effigiem imperatoris oppositam.* III, 47 *post ferocissimas gentes perdomitas tot receptos in iuventa aut spretos triumphos.* III, 61 *post interfectos Cyclopas.* VI, 12 *post exustum sociali bello Capitolium.* VI, 34 *post avectam Medeam.* XI, 22 *tertio anno post Tarquinios exactos.* XIII, 32 *post Iuliam interfectam.* XIV, 23 *post deleta Artaxata.* XV, 62 *post matrem fratremque interfectos.* XV, 65 *post occisum opera Pisonis.* hist. I, 1 *post urbem conditam.* dial. 37 *dicendum habeas an de ambitu comitiorum expilatis sociis et civibus trucidatis.* Vell. I, 3 *post Ilium captum.* I, 7 *cum sint a Capua capta anni ducenti et quadraginta.* I, 8 *post Troiam captam.* I, 11 *post victum captumque Persen.* II, 4 *post tot acceptas circa Numantiam clades.* II, 33 *ob iniectas moles mari.* II, 49 *post urbem conditam.* II, 65 *post urbem conditam.* II, 103 *post urbem conditam.* II, 122 *ex Armenia recepta ordinatisque rebus Orientis.* Sall. Cat. 47, 2 *ab incenso Capitolio.* 48, 4 *de paratis incendiis.* Iug. 41, 2 *ante Carthaginem deletam.* 73, 1 *ubi de casu Bomilcaris*

et indicio patefacto ex perfugis cognovit. 77, 1 *pariter cum capta Thala legati . . . . venerant.* 79, 7 *ob rem corruptam domi poenas metuunt.* Ex his exemplis de industria exhibeamus locum Sall. Iug. 79, 7 non congruentem cum Luebberti opinione, secundum quam Livius vetustiorum scriptorum consuetudinem aspernatus primus praepositione ob in hac structura usus est.

Singulis huius capitis partibus perpensis iure mireris, quod cum fere omnia genera structurae de qua agebatur in aliis Taciti scriptis frequentissime inveniantur, ab aliis prorsus aliena sunt. exstant enim non modo in historia Latinae linguae per se multae variaeque mutationes, sed etiam scriptores pro ipsorum aetate et dicendi consilio, pro varia indole et crescenti scientia non raro scribendi genus variant atque excolunt, quod confidimus apud nullum alium scriptorem melius, quam apud Tacitum observari posse. nonne enim cum dicendi genus, quale in dialogo apparet, proxime ad Ciceronis accedat, in ceteris scriptis tanquam cum singulis Taciti aetatis gradibus pariter se excolens eam narrandi et describendi artem assecutus est, qua praestantiorem nemo Latinorum procreavit?

Quae modo congessimus exempla participia erant **perfecti**, sed exhibet similem usum etiam participium **praesentis.** omnibus autem quae sequuntur locutionibus cuivis apparet quanta insit et audacia et gravitas, sicut: Tac. ann. II, 35 *conventum Italiae et affluentis provincias praesentiae eius servanda dicebat.* IV, 12 *quod principium favoris et mater Agrippa spem male tegens perniciem acceleravere.* IV, 34 *id perniciabile reo et Caesar truci vultu defensionem accipiens.* hist. II, 24 *angebant Caecinam nequicquam omnia coepta et senescens exercitus sui fama.* ib. *orientem solem . . . . salutavere.* II, 49 *nihil adventantem Mucianum veritus.* ann. IV, 17 *neque aliud gliscentis discordiae remedium.* dial. 8 *quo notabilior paupertas et angustiae rerum nascentes eos circumsteterunt.*

§ 11.

De genetivo.

Ut quodlibet adiectivum ad genetivum substantivi attributive addi potest, ita etiam quodlibet participium. rei usitatissimae exempla conquirere nihil attinet exceptis gerundivis. nam cum supra viderimus a substantivo et gerundium cum accusativo nominis et substantivum cum gerundivo attributivo dependere posse

cumque alii scriptores hanc, illam alii structuram praeferant, multum sane interest scire, utram Sallustius, Velleius, Tacitus praetulerint, h. e. quam saepe substantivo substantivum cum gerundivo addiderint. exempla prout genetivus aut ex substantivis aut adiectivis aut verbis pendet proponenda sunt.

I. De genetivo, qui pendet a substantivis.

Vell. II, 87, 2 *dignitatis .... servandae fidem.* Tac. ann. XV, 40 *videbatur Nero condendae urbis novae et cognomento suo appellandae gloriam quaerere.* hist. V, 6 *certo anni bitumen egerit cuius legendi usum ut ceteras artes experientia docuit.* ann. IV, 74 *visendi sui copiam facerent.* XI, 34 *diluendi criminis facultatem.* XII, 34 *reciperandae libertatis aut servitutis aeternae initium.* XIII, 49 *materiem obtrectatoribus arguendae sententia.* XIV, 50 *quae causa Neroni fuit suscipiendi iudicii.* XIV, 63 *in spem sociandae classis.* XV, 51 *occidendae matris Neronis inter ministros.* XVI, 10 *initium detegendae saevitiae.* XV, 9 *omisso paratu invadendae Suriae.* hist. II, 27 *reciperandi decoris cupidine.* II, 79 *initium ferendi ad Vespasianum imperii.* III, 16 *aviditate navandae operae.* III, 70 *imaginem deponendi imperii fuisse.* IV, 1 *initium id perfringendarum domuum.* IV, 49 *mandata interficiendi Pisonis.* IV, 53 *curam restituendi Capitolii in L. Vestinum confert.* V, 23 *causa instruendae classis.* Vell. II, 21 *spe continuandi consulatus.* II, 35 *sceleris conandi consilio.* II, 42 *ut auctor fieret sumendi de captivis supplicii.* II, 78 *gravissimi comparandique antiquis exempli auctor fuit.* II, 88 *interficiendi .... Caesaris consilia inierat.* II, 91 *cum iniissent occidendi Caesaris consilia.* Sall. Cat. 5, 6 *lubido maxima .... rei publicae capiundae.* 15, 3 *causa .... facinoris mutandi.* 16, 4 *opprimendae rei publicae consilium cepit.* 35, 4 *hoc nomine satis honestus pro meo casu spes reliquae dignitatis conservandae sum consecutus.* Iug. 29, 3 *in maximam spem adductus recuperandae pacis.* 37, 3 *ea mora in spem adductus Aulus .... aut conficiundi belli aut terrae exercitus ab rege pecuniae capiundae.* 75, 2 *spe patrandi belli.* 89, 6 *eius potiundi Marium maxima cupido invaserat.* 103, 3 *agendarum rerum et quocunque modo belli componendi licentiam ipsis permittit.* Tac. ann. XIV, 2 *ardore retinendae potentiae.* XIV, 44 *credidisne servum interficiendi domini animum sumpsisse?* XVI, 23 *ambitio conciliandae provinciae.* XI, 23 *ius adipiscendorum in urbe honorum.* XI, 25 *ius exuendi ordinis.* XIII, 26 *revocandae libertatis ius.* XIII, 49 *ius dicendae sententiae.* XIV,

50 *adipiscendorum honorum ius.* Vell. II, 28 *liberi etiam petendorum honorum iure prohiberentur.* Tac. hist. II, 84 *conferendarum pecuniarum exemplum.* III, 32 *signum incendendae Cremonae.* ann. XII, 24 *sulcus designandi oppidi coeptus.* XII, 50 *casum invadendae Armeniae obvenisse ratus.* XIII, 36 *bene gerendae rei casum afferri.* XIII, 52 *tempus evocandorum testium.* hist. II, 100 *Patavi secretum componendae proditionis quaesitum.* ann. XIV, 59 *constantiam aperiendae matris inter ministros.* XIII, 21 *suscipiendae accusationis operam.* XIII, 30 *constantiam sumendae mortis.* hist. III, 86 *serendae in alios invidiae artifex.* dial. 4 *patrocinium defendendae poeticae.* Vell. II, 48 *defuisset fortunae destruendi eius locus.* Sall. Iug. 22, 5 *Adherbalis appellandi copia non fuit.* 83, 1 *habere tum magnam copiam societatis amicitiae coniungendae.* 96, 3 *proelii faciundi tempus adesse.*

II. Genetivus dependet ab adiectivis.

Tac. ann. III, 42 *navandae operae avidior.* IV, 32 *princeps proferendi imperii incuriosus.* XIII, 20 *interficiendae matris avidus.* hist. III, 72 *avido milite emendae civitatis.* ann. III, 30 *interficiendi Postumi Agrippae conscius.* IV, 59 *dum a libertis et clientibus apiscendae potentiae properis exstimulatur ut erectum et fidentem animi ostenderet.* Sall. Jug. 35, 2 *avidus consul belli gerendi.* Tac. ann. IV, 34 *quam Cremutius relinquendae vitae certus in hunc modum exorsus est.* I, 36 *exauctorari qui sena dena fecissent ac retineri sub vexillo ceterorum immunes nisi propulsandi hostis.* VI, 4 *Latiaris praecipuus olim circumveniendi Titii Sabini et tunc luendae poenae primus fuit.* III, 7 *erectis omnium animis petendae e Pisone ultionis.*[1]) I, 75 *resistentibusque aerarii praetoribus subvenit*

1) Quae vera sit huius enuntiati ratio grammatica non prorsus certum est. quare liceat nobis nostram proferre sententiam, postquam de aliorum opinionibus disseruimus. ac Draeger quidem opinatur genetivi petendae ultionis naturam non aliam esse quam ann. II, 59 *Aegyptum proficiscitur cognoscendae antiquitatis,* quam sententiam quominus probemus obstat, quod verba petendae ultionis a vocibus Drusus .... profectus est verbis erectis omnium animis interiectis seiuncta sunt, itaque ne Nipperdey quidem hunc locum recte explicavit, cum ann. II, 59 *Aegypt. prof.* qu. squ. simillimum esse censeat. idem attinet ad interpretationem, quam edidit Eduard Wolff (Die Sprache des Tacitus, Programm der Wöhlerschule zu Frankfurt a/M. 1879, p. 17 squ.). secundum eam enim genetivus dependet de substantivo animis = Wunsch, Verlangen, Lust. corruit autem haec sententia, quod voc. animus, si in plurali numero usurpatur, non ea significat, quae nos vocamus Wunsch, Ver-

Caesar pretiumque aedium Aurelio tribuit erogandae per honesta pecuniae cupiens.

III. De genetivo, qui pendet a verbo.

Ann. IV, 29 *tum accusator Cn. Lentulum et Seium Tuberonem nominat magno pudore Caesaris cum primores civitatis intimi ipsius amici Lentulus senectutis extremae Tubero defecto corpore tumultus hostilis et turbandae rei publicae accerserentur.* VI, 10 *quia occupandae rei publicae argui non poterant ob lacrimas incusabantur.*

§ 12.

De dativo.

Quae de genetivo monuimus, ea etiam ad dativum referenda sunt.

---

langen, Lust, sed quae dicimus Gemüther. quare locus ille Vell. Paterc. II, 4 *si is occupandae rei publicae animum habuisset*, quem Wolff profert, non confirmat eius sententiam, sed refutat. neque Witt rectam genetivi rationem perspexit statuens esse genetivum qualitatis, quae opinio mihi arrideret, si Tacitus scripsisset: et Drusus petendae e Pisone ultionis Illyricos ad exercitus profectus est. sunt etiam, qui ante petendae e Pisone ultionis suppleant substantivum spe, quod quamquam palaeographicis quas vocant rationibus non sine veritatis specie esse videtur, tamen non minus mihi displicet, quam si quis in difficillimo illo loco ann. III, 19 *is finis fuit ulciscenda Germanici morte* ante voc. ulciscenda supplere vellet praepositionem in, quibus de causis non intellegimus, cur viri docti reformident voc. erectus pro adiectivo relativo habere, a quo genetivus *petendae ultionis* dependet. licet ei iungatur ann. II, 71, hist. II, 74 praepositio ad vel in — nonne tam multa sunt apud Tacitum, quae certa lege prorsus carent? sicut relegemus ad participium captus, quod in locutione captus animi (hist. III, 73) a vulgari usu recedit. conferas etiam locutionem versus animi (hist. IV, 84); similis ratio est adiectivi validus. etiam hoc vocabulum adiectivi relativi vice fungitur, quamquam primitiva significatio eius multo magis quam voc. erectus huic usui adversari videtur et aliis locis cum praepositione ad coniungitur (ann. VI, 29). gravissimum denique argumentum id accedit quod ann. IV, 59 *dum a libertis et clientibus apiscendae potentiae properis exstimulatur, ut erectum et fidentem animi ostenderet* voc. erectus adiectivi relativi vice haud dubie fungitur.

Haec est interpretatio illius loci, qui per se spectatus aliquid offensionis habet, ex indole autem totius Tacitini loquendi usus optime explicari potest. — Atque illa literis mandata erant, cum vidimus quam nos protulimus sententiam, eandem etiam E. Hoffmanno (Jahrb. f. phil. u. pädagog. 109. pag. 554) arridere, quamquam vir ille doctissimus non exposuit, qua in re Nipperdey et Draeger et Witt erraverint.

I. De dativo qui dependet de verbo.

Huius generis tres rursus aliae species subtiliter secernendae unt, ut perspicue intellegatur, quam aequabili constantique modo ngua, inprimis Tacitina a rebus prioribus et simplicibus ad remoiores et magis contortas processerit. hanc enim in partem Draeer,[1]) Teipel,[2]) Wolff,[3]) cum varia genera inter se confundant, ion dilucide disseruisse nobis videntur.

A. Inter dativum gerundivi et verbum finitum

ntima cernitur communio quippe quae verbi natura ea sit, ut mnino non nisi cum dativo coniungatur. facilem igitur transium esse ab enuntiato classi praefectus est ad classi reiciendae praefectus est libenter concedas.

Ex Taciti scriptis haec exempla afferenda sunt: Tac. ann. I, 1 *emporibus Augusti dicendis non defuere decora ingenia.* I, 76 *edenlis gladiatoribus .... Drusus praesedit.* II, 6 *Silius et Antonius t Caecina fabricandae classi praeponuntur.* II, 53 *paucos dies inumpsit reficiendae classi.* III, 1 *illic paucos dies componendo animo nsumit.* III, 22 *exemit etiam Drusum consulem designatum diendae primo loco sententiae.* IV, 23 *ubi impetrando triumphalium nsigni sufficere res suas crediderant.* IV, 72 *regendis Frisiis imositus.* VI, 4 *sufficere ipsum statuendis remediis.* XIII, 8 *Corbuonem retinendae Armeniae praeposuerat.* XIII, 13 *suum potius ubiculum ac sinum offerre contegendis* (sc. iis) *quae prima aetas t summa fortuna expeterent.* XIII, 39 *in testudinem conglobatos ubruendo vallo inducit.* XV, 44 *abolendo rumori Nero subdidit*

1) Stil. Tacit. § 206.

2) Grammatische Streifzüge in Zeitschr. für Gymnasialwesen 1858. p. 549.

3) Quod ad totam Eduardi Wolffii commentationem pertinet iudicium, idem etiam confirmatur capite illo, ubi gerundii gerundivique genetivus et dativus tractatur. tantum enim abest, ut exemplorum copia, quae sufficiat, congesta sit, ut historia uniuscuiusque structurae prorsus non describatur. desunt enim illae rationes ex omnium exemplorum comparatione inventae, quibus suppositis transitus rerum usitatissimarum ad inusitatas facillime constitui potest. in hac enim re cardo vertitur. quare si Wolff in tractanda genetivi syntaxi eam viam ingressus esset, quam E. Hoffmann monstravit, (cuius sane egregium de hac re commentariolum viro illi doctissimo innotum esse videtur) vel in tractando dativi usu similes atque nos statuimus rationes secutus esset, de Taciti usu loquendi explicando fortasse meritus esset. nunc autem id tantummodo cernitur, quantulum utilitatis habeat, si quis linguam Tacitinam (Die Sprache des Tacitus, Programm der Wöhlerschule zu Frankfurt a/M. 1879) in paginis sex et viginti absolvere audeat.

reos. XVI, 3 *populus agrestium efficiendo operi assumptus.* hist. III, 54 *nec duces hostium augendae fama deerant.* III, 77 *perdomandae Campaniae insistere.* ab minoribus scriptis hoc genus alienum est.

Vellei duo exstant exempla: II, 79 *aedificandis navibus contrahendoque militi ac remigi navalibusque assuescendo certaminibus atque exercitationibusque praefectus est Agrippa.* II, 31 *cervices tam fortiter sustinendo terrarum orbis imperio sufficiant.*

Sallustius hoc genere prorsus abstinuit. quatenus alii scriptores huic usui indulserint Teipelio praecedente exponam. atque apud Ciceronem verba: praeesse, operam dare, addere, studere, praeficere, impertire nonnunquam cum dativo gerundivi coniunguntur, quod magis minusve etiam apud Caesarem et Livium observari licet. in universum autem statuendum videtur hunc usum apud priores scriptores angustissimis finibus conscriptum esse.

B. Minus arta, sed laxior esse potest ratio

quae inter dativum gerundivi et verbum finitum intercedit. hoc pertinet ad ea verba, quorum cum dativo structura non sola et unice usitata est. huius speciei quae ideo maximi momenti est, quod facilem transitum praebet ab usu frequentissimo ad usum rarissimum satis multa apud Tacitum, nulla apud Sallustium et Velleium exempla inveniuntur.

Sicut: Tac. ann. II, 4 *tum Gaius Caesar componendae Armeniae deligitur.* II, 46 *cum a Cheruscis Longobardisque pro antiquo decore . . . . et contra augendae dominationi certaretur.* V, 4 *componendis patrum actis delectus.* VI, 32 *reciperandae Armeniae Hiberum Mithridatem deligit.* VI, 45 *aestimando cuiusque detrimento delecti* (sunt). XII, 19 *laudat quod . . . . suam dextram petendae veniae delegerit.* XIII, 21 *cum cetera apiscendo imperio praeparārentur.* XIII, 48 *C. Cassius adhibendo remedio delectus.* XIV, 4 *occultando facinori nox adhiberetur.* XV, 4 *ea dum a Corbulone tuendae Suriae parantur.* XV, 6 *proprium ducem tuendae Armeniae poposcerat.* XV, 16 *quae ut augendae infamiae composita.* XV, 43 *ruderi accipiendo Ostienses paludes destinabat.* hist. II, 12 *blandiebatur coeptis fortuna possessa per mare et naves maiore Italiae parte penitus usque ad initium maritimarum Alpium quibus temptandis aggrediendaeque provinciae Narbonensi Suedium Clementem . . . . duces dederat* (= delegerat). II, 82 *praeceptumque ut praetorianos*

Vitellio infensos reciperandae militiae praemio invitarent. III, 57 *Vitellius Claudium Iulianum . . . . permulcendis militum animis delegit.* V, 13 *cuncta expugnandis urbibus reperta.* III, 5 *compositus etiam alliciendis.* III, 82 *destinantur validae civitates exercendis armorum officinis.* V, 1 *perdomandae Iudaeae delectus.*

C. Tertium genus id est, ubi per se prorsus nulla ratio exstare videtur inter dativum et gerundivum ita ut, etiamsi dativus deesset, tamen nihil desideraretur. atque haec liberrima species, ubi dativus gerundivi finalem vim habet, quomodo paulatim ex simplicioribus structuris orta sit antecedentibus satis demonstratum est. ceterum ex ipsa vi et natura casus dativi hic usus non minus intellegitur. constat enim dativum significare, quo spectet efficiens ut ita dicamus vis, quae alicui rei inest. neque minus clarum est quomodo ex hac primitiva significatione ea se expromat, quae indicat, utrum aliquid commodo an incommodo alicuius rei aut personae factum sit, a qua usus dativi, qui finali notioni inservit, non multum recedit. Taciti autem qui hunc dicendi usum et invenit et nimio studio amplexus est, haec exempla habemus quae in medium proferamus:

ann. I, 26 *cur venisset neque augendis militum stipendiis neque allevandis laboribus.* I, 60 *Caecinam cum quadraginta cohortibus Romanis distrahendo hosti . . . . mittit.* II, 1 *partem prolis firmandae amicitiae miserat.* II, 21 *iam sero diei subducit ex acie legionem faciendis castris.* II, 37 *nec ad invidiam ista sed conciliandae misericordiae refero.* II, 65 *Rhescuporis sanciendo foederi convicium adicit.* II, 85 *factum patrum consultum ut quattuor milia libertini generis . . . . in insulam Sardiniam veherentur . . . . coercendis illic latrociniis.* III, 19 *Drusus urbe egressus repetendis auspiciis.* III, 31 *Tiberius quasi firmandae valetudini in Campaniam concessit.* III, 39 *qui praedabundi aut assumendis auxiliis vagabantur.* IV, 1 *industria et vigilantia haud minus noxiae quotiens parando regno finguntur.* IV, 73 *proxima aestuaria aggeribus et pontibus traducendo graviori agmini firmant.* VI, 43 *reddendae dominationi venisse.* XI, 1 *Suillium accusandis utrisque immittit.* ib. *opprimendo bello Crispinum . . . . misit.* XI, 2 *quibus* (lacrimis) *alluendis cubiculo egrediens monet.* XI, 32 *Messalina Lucullianos in hortos Silius dissimulando metu ad munia fori digrediuntur.* XII, 32 *colonia . . . . deducitur in agros captivos subsidium adversus rebelles et imbuendis sociis ad officia legum.* XII, 41 *ac-*

quirendis vulgi studiis edebatur. XII, 48 *principes Romani eandem Armeniam specie largitionis turbandis barbarorum animis praebuerint.* XII, 66 *refovendis viribus mollitia coeli et salubritate aquarum Sinuessam pergit.* XIII, 41 *nec id nobis virium erat quod firmando praesidio et capessendo bello divideretur.* XIII, 42 *eloquentiam tuendis civibus exercerent.* XV, 8 *rapit exercitum trans montem Taurum reciperandis ut ferebat Tigrano certis vastandisque regionibus.* XV, 10 *amisso centurione et paucis militibus quos visendis hostium copiis praemiserat.* XV, 18 *dissimulandis rerum externarum curis Nero frumentum plebis vetustate corruptum in Tiberim iecit.* XV, 24 *nec recusaturum Tiridaten accipiendo diademati in urbem venire.* XVI, 23 *Tiridates accipiendo Armeniae regno adventabat.* hist. I, 6 *opprimendis Vindicis coeptis revocaverat.* III, 3 *cum enim e rostris fratris domum imminentem foro et incitandis hominum oculis .... petisset.* III, 32 *balineas abluendo cruore propere petit.* ex Velleio unum exemplum nobis notum est: II, 92 *aberat ordinandis Asiae Orientisque rebus Caesar.*[1])

Ceteri scriptores quorum usum loquendi accuratius perlustrare nobis propositum est, tertio illo genere, quantum ex grammaticorum libris inprimisque Teipelii ad hanc rem commentariolo apparet, prorsus abstinuisse videntur. postremo id moneamus contra Teipelium non esse, cur ad Ulpianum refugiamus, ut locus inveniatur, ubi verbum praeponendi cum dativo gerundivi coniunctum est. nam iam Tacitus hanc structuram admisit. ann. II, 6 *Silius et Anteius et Caecina fabricandae classi praeponuntur.* XIII, 8 *Corbulonem retinendae Armeniae praeposuerat.*

II. De dativo qui pendet ab adiectivo.

Etiam huius usus primitivum genus id fuit, ubi cum adiectivo, quod notioni commodi aut incommodi inservit, dativus gerundivi

1) Contra auctoritatem libr. mscr. Kritz et Halm scribunt: aberat in ordinandis, alii praepositionem reici volunt, quibus assentimur. nam quominus praepositio deleatur nihil impedit, quia hic dativus unum sui generis exemplum est apud Velleium, sicut etiam adiectivi cum dativo gerundivi coniuncti unum tantummodo exstare exemplum infra videbimus. huc accedit, quod si scribimus: aberat in ordinandis Asiae Orientisque rebus Caesar, Velleius dicendi ratione haud satis meditata uti putandus est, cum non in ordinandis Asiae Orientisque rebus abesset Caesar, sed in Asia Orienteque ad res ordinandas (= rebus ordinandis — dativus finalis) versaretur.

coniungitur, e quo quomodo significatio finalis orta sit facile est ad intellegendum. ac classici quos vocant scriptores et Sallustius hunc usum prorsus respuisse videntur. Livius et Velleius admodum parce admiserunt, Tacitus autem magna delectione in eo versabatur. differt igitur hac in re usus posteriorum scriptorum a priorum ita, ut hi structurae adiectivi cum dativo gerundivi coniuncti praeferant usum praepositionis ad cum accusativo gerundivi coniunctae. ceterum sicut Tacitus, ubicunque structuram insolentiorem adhibet, eam non repente et abrupte suo dicendi usui infert, sed a rebus simplicibus notissimisque ad remotiores et inusitatas ita processit, ut singula subtilioris transitus intervalla sua quaque materia expleat, sic etiam hac in re dativus gerundivi saepe iungitur cum talibus adiectivis, quae quamquam per se haudquaquam apta esse videntur, tamen cum iis adiectivis, quae admodum usitata sunt, tanquam scalis nullo gradu omisso coniuncta sunt. itaque ex re esse videtur omnia adiectiva, quae huc spectant, secundum ordinem illum enumerare:

secundus
auspicatus
impar
melior
idoneus
aptus
opportunus
intentus
tutus
facilis
potior
paratus
promptus
egregius
validus
incuriosus
famosus
sagax
nimius
inhabilis
impenetrabilis
callidus
clementer assurgens (Partic.)

fecundus
occultus
subdolus
saevus
turbidus
acer
properus
continuus
nudus.

Octo horum adiectivorum pertinent ad historiarum libros: secundus impar melior tutus sagax fecundus acer turbidus. unum ad Germaniam: auspicatus. cetera omnia ad annalium libros. iam exempla ipsa proferamus: ann. I, 23: *retorto Clemente Iulio qui perferendis militum mandatis habebatur idoneus.* I, 31 *regimen summae rei penes Germanicum agendo Galliarum censui tam intentum.* II, 5 *celebrandae victoriae intentior.* II, 6 *aptae* (sc. naves) *ferendis equis aut commeatui.* ib. *ob faciles appulsus accipiendisque copiis et transmittendum ad bellum opportunum.* II, 57 *amici accendendis offensionibus callide intendere vera.* III, 10 *Tiberium spernendis rumoribus validum esse.* III, 31 *Drusus apta temperandis animis disseruit.* III, 40 *egregium resumendae libertati tempus.* III, 43 *Crupellarios vocant inferendis ictibus inhabiles accipiendis inpenetrabiles.* III, 60 *nec ullum satis validum imperium erat coercendis seditionibus populi.* IV, 37 *validus alio qui spernendis honoribus.* IV, 59 *a libertis et clientibus apiscendae potentiae properus.* V, 2 *aptus alliciendis feminarum animis.* V, 11 *facilis capessendis inimicitiis.* VI, 27 *regendis exercitibus idoneum.* VI, 5 *occultum ac subdolum fingendis virtutibus.* XI, 5 *saevus accusandis reis.* XI, 9 *potior Vardanes visus retinendo regno.* XI, 26 *adoptando Britannico paratum.* XII, 4 *accipiendis adversus generum suspicionibus .... promptior.* XII, 41 *capessendae rei publicae habilis.* XII, 62 *vehendo commeatu opportuna.* XIII, 13 *ut nimia nuper coercendo filio ita rursum intemperanter demissa.* XIII, 23 *exercendis apud aerarium sectionibus famosus.* XIII, 38 *colles erant clementer assurgentes accipiendis peditum ordinibus.* XIV, 38 *serendis frugibus incuriosos.* XIV, 59 *nudus exercitando corpori.* XV, 42 *neque enim necdum gignendis aquis occurrit.* XV, 67 *faciendis sceleribus promptus.* XVI, 1 *occulta augendis praesentibus bonis.* hist. II, 6 *parandis interim bello secundum tutumque ipsum mare.* II, 92 *fecunda gignendis inimicitiis civitas.* IV, 1 *duces partium accendendo civili bello acres tempe-*

randae victoriae impares. IV, 11 *civitas rimandis offensis sagax.* IV, 68 *turbidus miscendis seditionibus.* IV, 69 *instruendo bello offensus.* IV, 71 *contemnendis quam cavendis hostibus melior.* Germ. 11 *nam agendis rebus hoc auspicatissimum initium credunt.*

Vellei unum exstat exemplum: II, 12 *populus Romanus non alium repellendis tantis hostibus magis idoneum imperatorem quam Marium est ratus.*

III. De dativo antecedente substantivo.

Perpaucis substantivis exceptis[1]) Ciceronis aetate hic usus nonnullis iudicialibus elocutionibus continetur (cf. Cic. div. I, 17 *comitia consulibus rogandis habuit*) quos fines ne Sallustius et Velleius quidem praeter unum locum (Vell. II, 79) excedunt. neque alia eius consuetudinis ratio apud Livium esse videtur, cum maiorem licentiam huic usui inferre Tacitus demum ausus sit. ann. I, 54: *Titus Tatius retinendis Sabinorum sacris sodales Titios instituerat.* I, 62 *primum exstruendo tumulo caespitem Caesar posuit.* II, 26 *precante Germanico annum efficiendis coeptis.* II, 33 *decretumque ne vasa auro solida ministrandis cibis fierent.* III, 12 *adiutorem Germanico datum a se auctore senatu rebus apud orientem administrandis.* III, 13 *biduum criminibus obiciendis statuitur.* III, 15 *tum solita curando corpori exsequitur.* III, 25 *incitandis caelibum poenis et augendo aerario sanxerat.* III, 28 *C. Pompeius tertium consul corrigendis moribus delectus.* VI, 37 *ille equum placando amni adornasset.* VI, 45 *recreandae defectioni cibum afferrent.* XII, 68 *dum quae res forent firmando Neronis imperio componuntur.* XIII, 7 *iuventutem quaesitam supplendis Orientis legionibus admovere .... iubet.* XVI, 23 *portui Ephesiorum aperiendo curam insumpserat.* XIII, 53 *ille inchoatum .... a Druso aggerem coercendo Rheno absolvit.* XIV, 3 *additurum principem defunctae templum et aras et cetera ostentandae pietati.* XV, 9 *ne ponti iniciendo impedimentum hostiles turmae afferent.* XV, 43 *subsidia reprimentis ignibus.* XV, 48 *facundiam tuendis civibus exercebat.* XVI, 13 *dilectus per Galliam Narbonensem Africamque et Asiam habiti sunt supplendis Illyricis legionibus.* XVI, 17 *acquirendae pecuniae brevius iter credebat per procurationes administrandis principis negotiis.* XVI, 26 *secum expenderet quod tali in tempore capessendae rei publicae iter ingrederetur.* hist. II, 21 *Vitelliani pluteos cratesque et vineas subfodiendis muris protegendisque oppu-*

1) Cf. Teipel, l. c.

gnatoribus Othoniani sudes et immensas lapidum ac plumbi aerisque moles perfringendis obruendisque hostibus expediunt. IV, 48 *legio in Africa auxiliaque tutandis imperii finibus . . . . proconsuli parebant.* I, 18 *observatum id antiquitus comitiis dirimendis non terruit Galbam.* I, 41 *paucos dies exsolvendo donativo deprecatum.* I, 52 *sordes et avaritiam Fontei Capitonis adimendis assignandisve militiae ordinibus integre mutaverat.* II, 2 *gerendis rebus nullum ex eo impedimentum.* III, 20 *num secures dolabrasque et cetera expugnandis urbibus secum attulissent.* III, 56 *quantus urguendo trahendove bello modus.* V, 12 *piscinae cisternaeque servandis imbribus.* V, 19 *gnarus deesse naves efficiendo ponti.* Vell. II, 2 *triumvir agris dividendis colonisque deducendis creavit se socerumque suum.* II, 45 *quod inter viginti viros dividendo agro Campano esse noluisset.* II, 79 *ea patrando bello mora fuit.* Sallust. Iug. 42 *triumvir coloniis deducendis.*

His expositis et in omnes partes consideratis clarum est ad usum dativi gerundivi amplificandum, quem quidem priores scriptores in linguam Latinam induxerunt sed ultra parva initia non propagarunt, nullum fere scriptorem Tacito plus contulisse. — Postquam de dativo gerundivi omnia quae necessaria esse videbantur exposuimus, pauca dicamus de dativo gerundii qui finali sensu praeditus est, velut Tac. ann. 13, 11 *testificando quam honesta praeciperet.* 15, 16 *adstantibus iis quos testificando rex misisset.* — Ratio grammatica ei haud in obscuro est, qui usum dativi gerundivi recte perspexerit. necessaria tamen ad hanc speciem intellegendam comparatio est ex alia ratione desumpta: quem enim non offendit transitus locutionis pecunia postulata (ubi participium cum substantivo tam arte coniungitur, ut utrumque in unam notionem coalescat) in postulatum (ubi participium per se solum substantivi vice fungitur), ei id quoque haud mirum videbitur, si ex usu participii futuri pass. cum dativo substantivi ita coniuncti, ut toti structurae finalis notio subiciatur, oritur usus participii fut. pass. eodem sensu praediti nullo substantivo apposito. apud priores scriptores vix quidquam est, quod cum hac specie comparari possit, nam in locutione solvendo esse inest insolentia minus in gerundio, quam in verbo esse, quod non multum abesse ab significatione elocutionis parem, idoneum esse manifestum est.[1])

1) His quae protulimus quamquam quaestio de usu dativi gerundii et gerundivi non in omnes partes absoluta est, quoniam non omnes scriptores

Oblata occasione intersit scire, utrum structura accusativi gerundii cum accusativo obiecti vitata sit apud Sallustium, Velleium, Tacitum an admissa. ac repudiarunt, ni omnia nos fallunt, hunc usum scriptores illi, Sallustius et Velleius non minus quam Tacitus. nam Agric. 27 lectionem penetrandum Caledoniam quam diu editores amplexi sunt non tantam fidem prae se ferre, quam lectionem penetrandam Caledoniam dilucide apparet, ex quo quae ratio inter libros manuscriptos intercedat cognitum est. neque apud ceteros scriptores illa structura usu venisse videtur. Ciceronis certe loci non aliter sese habent, quam Tacit. Agric. 27: maiore ambiguitate laborant, quam ut ad certam quandam normam apti esse videantur constituendam.

§ 13.

De accusativo.

Supra (§ 11 et 12) expositum est participium perfecti pass. (rarius etiam praesentis) cum substantivo coniunctum idem valere, quod nomen abstractum. sed non sola haec participia tali circumscriptioni inserviunt, quia etiam gerundivum cum substantivo, praesertim cum a praepositione pendeat, pro nomine abstracto esse potest. unum illud interest inter hanc illamque structuram, quod in illa de re facta vel praesenti agitur, hic de futura, de facienda. nos autem in nostra lingua substantivis hoc discrimen non semper indicamus; in Latina saepe nomen abstractum gerundivo cum substantivo suo supplere possumus velut si dico ad defendendam urbem milites relicti sunt sive ad defensionem urbis. hic usus non invenitur nisi post praepositiones.

Haec sunt exempla:

I. ad praepositio.

Tac. ann. I, 5 *Rumor incesserat Augustum Planasiam vectum ad visendum Agrippam.* II, 43 *ad spes Germanici coercendas.* III, 30 *quamquam prompto ad capessendos honores aditu.* III, 39 *ipse robur peditum ad exsolvendum obsidium ducit.* IV, 16 *promptior animus foret ad capessendas caeremonias.* XIV, 26 *ad occupanda Tigranocerta.* III, 49 *ceteris ad dicendum testimonium exterritis.* IV,

respiciebantur, futilia tamen grammaticorum praecepta a nobis refutata esse putamus. vide enim quam non accurata sint, quae grammatici iique recentiores hac de re protulerunt, velut Mueller-Lattmann gr. lat. 88, 2: *der gebrauch des dativ gerundii und gerundivi ist beschränkt.*

48 *tenebrae insuper delectae augendam ad formidinem.* IV, 54 *secretum ad perpetrandum quaeri.* V, 11 *ut segnem Regulum ad opprimendos Seiani ministros oblique perstrinxerat.* VI, 3 *ad corrumpendum militiae morem propelleret.* VI, 46 *ad internoscenda corpori suo utilia.* VI, 50 *ad capienda imperii primordia.* XI, 8 *ad excidenda castellorum ardua.* XIII, 8 *si ad accipiendas copias Suriam intravisset Corbulo.* XIII, 9 *non prius conversum regem ad offerendos obsides.* XIII, 31 *ad retinendam populi fidem.* XIII, 38 *pars in planitiem porrigebatur ad explicandas equitum turmas.* XIII, 39 *ad tua defendenda cogeret.* XIV, 5 *convincendum ad scelus.* XIV, 36 *ad intorquenda pila.* XIV, 37 *ad reliqua belli perpetranda.* XIV, 39 *ad spectandum Britanniae statum.* XIV, 51 *ad visendum eum.* XV, 4 *ad exsequendas obsidiones.* XV, 53 *ad eliciendum vulgi favorem.* XV, 56 *ad eum opprimendum.* XV, 58 *dicendam ad causam.* XV, 66 *ad prodendum Taenium Rufum.* XVI, 14 *ad eliciendam cupidinem.* XVI, 19 *ne mox usui esset ad facienda pericula.* XVI, 22 *ad coercendos Silanum et Veterem.* XVI, 24 *ad excipiendum principem spectandumque.* XVI, 32 *ad opprimendum amicum.* ib. *ad exprimendam imaginem.* histor. I, 19 *facili civitate ad accipienda credendaque omnia nova.* I, 25 *data pecunia ad pertemptandos plurium animos.* I, 34 *ad evocandum Galbam laeta falso vulgaverint.* I, 35 *insigni animo ad coercendam militarem licentiam.* I, 45 *ad prohibendum scelus.* I, 50 *ad perdendum imperium.* I, 73 *ad instigandum in arma Clodium Macrum.* I, 77 *ad capessendam principatus fortunam.* I, 81 *ad mitigandas militum iras.* I, 84 *oratio ad perstringendos mulcendosque militum animos.* I, 85 *ad studia partium noscenda.* I, 87 *ad observandam honestiorum fidem.* I, 90 *ad implendas populi aures.* II, 4 *ad tolerandas necessitates.* II, 11 *ad occupandas Padi ripas.* II, 84 *ad obtinendas iniquitates.* II, 85 *ad interficiendum Tettium Iulianum.* II, 100 *ad occupandam Cremonam.* ib. *lubrica ad mutandam fidem classe.* III, 5 *Sextilius Felix .... ad occupandam ripam .... missus.* III, 6 *ad invadendam Italiam.* ib. *ad mutandam fidem cogerent.* III, 10 *ad ferendam opem nomine ciens.* III, 14 *ad obtinendam Cremonam.* III, 30 *ad mutandam fidem.* III, 32 *ad exstruendum amphitheatrum.* III, 54 *ad vires hostium spectandas.* III, 55 *ad tuendam urbem.* III, 70 *ad decipiendos tot illustres viros.* III, 80 *ad tuendam urbem.* IV, 3 *ad componendam Campaniam.* IV, 28 *ad scindendum vallum.* IV, 37 *ad liberandum Mogontiaci obsidium.* IV, 39 *ad capessendam rempublicam.* IV, 51 *ad reliqua Iudaici belli*

perpetranda. V, 11 *Romani ad oppugnandum versi.* V, 15 *proelii eventus utrumque ducem diversis animi motibus ad maturandum summae rei discrimen erexit.* V, 21 *ad exsequenda imperia.* V, 22 *profectus Novaesium Bonnamque ad visenda castra.* Agric. 1 *celeberrimus quisque ingenio ad prodendam virtutis memoriam .... ducebatur.* 6 *ad capessendos magistratus in urbem digressus.* ib. *ad dona templorum recognoscenda.* 7 *ad delectus agendos.* 12 *ad propulsandum commune periculum.* 28 *ad tradendam disciplinam.* dial. 8 *ad demonstrandam oratoriae eloquentiae utilitatem illustriora exempta sunt.* Vell. II, 13 *conversus Drusi animus .... ad dandam civitatem.* II, 19 *ad quem* (Marium) *interficiendum missus cum gladio servus.* II, 28 *priores ad vindicandam maximis periculis rempublicam olim usi erant.* II, 29 *ad vindicandam restituendamque dignitatem patriae.* II, 31 *ad eos opprimendos mitteretur.* II, 43 *ad sacerdotium ineundum .... festinans in Italiam.* II, 45 *ad spoliandum regno Ptolemaeum.* II, 59 *ad erudiendam liberalibus disciplinis singularis indolem iuvenis Apolloniam eum in studia miserat.* II, 60 *ad nefandam dominationem erupit furor.* II, 62 *ad augendam invidiam.* II, 73 *ad se exercitumque tuendum.* II, 89 *principes viri ad ornandam urbem inlecti sunt.* II, 94 *missus ad visendas ordinandasque provincias.* II, 121 *absurdum erat ... qui ad opem ferendam primus erat ad vindicandum honorem non iudicari parem.* II, 123 *Caesar Augustus cum ... Tiberium filium missurus esset in Illyricum ad firmanda pace quae bello subegerat.* II, 128 *haec naturalis exempli imitatio ad experiendum Seianum Caesarem ad iuvanda vero onera principis Seianum propulit.* Sall. Cat. 18, 4 *ad perturbandam rempublicam inopia atque mali mores stimulabant.* 18, 5 *ad obtinendas duas Hispanias mittere.* 25, 5 *ea res inprimis studia hominum accendit ad consulatum mandandum M. Tullio Ciceroni.* 27, 4 *docet se Manlium praemisisse ad eam multitudinem quam ad capiunda arma pacaverat.* 31, 7 *ut erat paratus ad dissimulanda omnia.* 46, 3 *ad concitanda servitia proficisci parabat.* 50, 1 *opifices atque servitia ad eum eripiendum sollicitabant.* Iug. 5, 3 *pauca supra repetam quo ad cognoscendum omnia illustria magis magisque in aperto sint.* 6, 3 *natura mortalium avidaimperi et praeceps ad explendam animi cupidinem.* 12, 2 *tempus ad utramque rem decernitur sed maturius ad pecuniam distribuendam.* 29, 7 *Calpurnius Romam ad magistratus rogandos proficiscitur.* hist. I, 41, 25 *accipite otium cum servitio et tradite exemplum posteris ad rem publicam suimet et sanguinis circum-*

veniendam. Iug. 43, 4 *ad ea patranda .... omnis civitas summo studio enitebatur.* 62, 8 *cum ipse ad imperandum Pisidium vocaretur.* 63, 2 *ad quem* (consulatum) *capiendum praeter vetustatem familiae alia omnia abunde erant.* 95, 3 *ad simulanda negotia altitudo ingenii incredibilis.* 111, 4 *ad simalandam pacem .... quae utilia visa constituunt.* hist. I, 41, 3 *ad ea quae maiores virtutes peperere subvortunda.* ib. 27 *M. Aemilium consulem ducem et auctorem sequimini ad recipiendam libertatem.* I, 48 *praeter idoneum ducem nihil abest ad subvortundum imperium.* hist. III, 61, 7 *raris enim animus est ad ea quae placent defendunda.*

II. ob praepositio.

Tac. ann. XI, 5 *ob causam orandam.* Sall. Iug. 89, 2 *ob suos tutandos.* 102, 12 *ob regnum tutandum.*

III. circa praepositio.

Unus exstat apud Tacitum locus. Dial. 28 *de severitate et disciplina maiorum circa educandos formandosque liberos.*

§ 14.

De ablativo.

Prorsus eadem ratio atque illa, quam antecedenti paragrapho inter accusativum gerundivi et substantivi intercedere cognovimus, invenitur in ablativo. etiam haec exempla nominibus abstractis circumscribi possunt, in quo notandum id non solum inveniri post antecedentes praepositiones, sed etiam ubi simplex ablativus instrumentali notione aut modali utitur. duo igitur genera distinguenda sunt, prout ablativus sequitur praepositiones aut sensu instrumentali usurpatur.

A. De Ablativo qui sequitur praepositiones.

I. de praepositio.

Tac. ann. II, 32 *facta et de mathematicis magisque Italia pellendis senatus consulta.* II, 85 *actum et de sacris Aegyptiis Iudaicisque pellendis.* IV, 9 *de reddenda republica.* IV, 16 *de flamine .... legendo simul roganda nova disseruit Caesar.* IV, 30 *actum de praemiis accusatorum abolendis.* VI, 46 *dubitavit de tradenda republica.* XI, 23 *cum de supplendo senatu agitaretur.* XII, 52 *de mathematicis Italia pellendis senatus consultum atrox.* XI, 61 *rettulit de immunitate Cois tribuenda.* XIII, 34 *de obtinenda Armenia*

bellum. hist. I, 39 *de occidendo Tito Vinio.* IV, 44 *inchoante Caesare de abolendo dolore iraque et priorum temporum necessitatibus.* III, 65 *de pace ponendisque per conditionem annis agitare.* IV, 40 *referente Caesare de restituendis Galbae honoribus.* Germ. 22 *de reconciliandis in vicem inimicis et iungendis affinitatibus et arciscendis principibus . . . consultant.* Vell. II, 21 *Cinna de recipiendo Mario legem tulit.* Sall. Iug. 11, 5 *cum multa de administrando imperio disserent.*

II. in praepositio.

Tac. ann. II, 63 *sua in destruendo eo consilia extulit.* IV, 10 *in tradenda morte Drusi.* XI, 24 *in republica capessenda.* XV, 68 *in perpetiendis supliciis degeneravere.* Germ. 20 *in accipiendis obsidibus.* 29 *nec in auctoribus cognoscendis nec in evolvenda antiquitate . . . . satis operae insumitur.* Vell. II, 30 *C. Caesaris absentis in altero consulatu petendo senatum populumque Romanum rationem habere.* II, 33 *in appetendis honoribus immodicus in gerendis verecundissimus.* II, 46 *neque in pecunia neque in gloria concupiscenda aut modum norat aut capiebat terminum.* II, 92 *in comitiis habendis.* II, 27 *contractis circiter quadraginta milibus fortissimae pertinacissimae in retinendis armis iuventutis.* II, 29 *in reconcilianda gratia fidelissimus in accipienda satisfactione facillimus.* Sall. Cat. 20, 11 *quis mortalium . . . . tolerare potest illis divitias superare quas profundant in exstruendo mari et montibus coaequandis.* hist. I, 41, 1 *quo captis libertatis curam miseria eximat aut si provideritis in vitandis periculis magis quam ulciscendo teneamini.*

III. super praepositio.

Tac. ann. XV, 5 *super petenda Armenia et firmanda pace.* XV, 24 *se priora et totiens iactata super obtinenda Armenia nunc omittere.* XV, 61 *quod in visendo ea prohiberetur.* hist. I, 41, 6 *dum vos metu gravioris servitii a repetunda libertate terremini.*

B. De Ablativo qui vocatur instrumentalis.

a) Taciti:

ann. I, 52 *quod largiendis pecuniis favorem militum quaesivisset bellica quoque Germanici gloria augebatur.* II, 5 *fessas Gallias ministrandis equis.*[1]) XII, 34 *firmavere animos minuendo metu*

1) ann. IV, 36 *ceterum postulandis reis tam continuus annus fuit.* XI, 5 *continuus inde et saevus accusandis reis Suillius* aliam habent indolem,

accendenda spe aliisque belli incitamentis. XIII, 31 *laudandis fundamentis et trabibus . . . volumina explere.* ib. *nam antea non minus tali largitione quam corripiendis pecuniis subiectos affligebant.* XIV, 19 *viguerant, ille orando causas, Servilius diu foro mox tradendis rebus Romanis.* XV, 45 *conferendis pecuniis pervastata Italia.* hist. IV, 80 *neque ipse deerat arrogantia vocare offensas nimius commemorandis quae meruisset.* Agric. 9 *ostentanda virtute.* 31 *silvis et paludibus emuniendis.* 45 *denotandis tot hominum palloribus.* ann. IV, 52 *capessendis accusationibus.* VI, 17 *omnem pecuniam mercandis agris condiderant.* XIII, 3 *aliquando carminibus pangendis inesse sibi elementa doctrinae ostendebat.* hist. III, 76 *pecuniis acerbe per municipia conquirendis plus invidiae quam virium.* IV, 26 *ibi struenda acie . . . militem firmabant.*[1])

b) Sallustii:

hist. I, 48, 16 *qui quando talis es, maneas in sententia et retineas arma te hortor non prolatandis seditionibus inquies nos in sollicitudine attineas.*

---

quod postulandis reis et accusandis reis tertius casus est. nam si tenemus dativum significare rem, cuius respectu aliquid est vel fit, nihil est, cur hac ab interpretatione abhorreamus. Otto et Draeger in medio relinquere videntur, utrum dativus an ablativus sit intellegendus.

1) Structura cui nulla cum antecedentibus communio est offertur Tac. ann. XIII, 57 *flumen gignendo sale fecundum.* et XIV, 27 *coniugiis suscipiendis neque alendis liberis sueti,* ubi ablativus gerundivi dependet ab adiectivis, quae suapte natura hunc casum desiderant. huius usus, ad quem perpauca exempla pertinent, praeter Naegelsbachium Lat. Stil. p. 100 nemo est, qui mentionem faciat. duo exempla ab viro illo doctissimo afferuntur: Liv. IV, 14, 11 *contentus possidendis agris* (= contentus possessione agrorum). Cic. off. I, 15, 4 *nullum officium referenda gratia magis necessarium est.* quo loco Cicero eam solam ob causam gerundivi ablativo comparationis utitur, quod agitur de grato animo factis demonstrando. non sufficit igitur dicere: nullum officium grato animo magis necessarium est.

Caput IV.

De participiorum usu praedicativo.

§ 15.

De participiis enuntiatorum vice fungentibus.

A. De participio futuri activi loco enuntiati secundarii usurpato.

Usus participii futuri activi qualis apparet apud Sallustium, Velleium, Tacitum mirum in modum fluctuat, si eum contuleris cum aliorum scriptorum dicendi consuetudine. atque secundum pervulgatam sed falsam sententiam participio fut. act. a Livio primo finalis significatio vindicatur, quae opinio ex grammaticorum[1]) iudicio ita corrigenda est, ut statuatur participium fut. act. apud Ciceronem enuntiati secundarii partes omnino non suscepisse. haec res ad artem grammaticam rectius perspiciendam haud sane nullius momenti quod a Bergero Stil. Lat. neglecta sit, Draeger[2]) iure vituperavit, sed in suo ipsius libello utinam melius et accuratius hoc idioma tractasset! tantam enim varietatem Tacitus in participio fut. act. usurpando prae se fert, ut usus prorsus non definitus sit, cum nihil aliud exponatur, quam ut apud Tacitum illud participium vice enuntiati secundarii fungi dicatur. quaestionem autem cur apud classicos scriptores usus participii fut. act. finibus tam circumcisis contineatur is facile diiudicare poterit, qui non ignoret aureae aetatis scriptores sermonis distinctae brevitati, cui efficiendae participia inservire constat, omnino minus quam argenteae indulsisse; ceterum utut est, Draeger veram causam invenisse non videtur opinans liberiorem illum usum a Cicerone propter multifarias, quas participium fut. act. suscipere possit, enuntiati secundarii partes repudiatum esse. existimat igitur Ciceronem omnem ambiguitatem vitare voluisse, sed dici nequit, quam id falsum sit. nam ex attenta perlustratione omnium eorumque audacissimorum quae infra commemorabimus exemplorum liquido apparebit varietatem illam significationis non tam in participio positam esse ipso, quam totius enuntiati rationi inhaerere et ex ea in participium

1) Kuehnast, Liv. synt. II p. 267.
2) Zeitschr. für Gymnasial. 1866, p. 196.

tanquam transferri.[1]) Cicero autem dubitandum non est, quin linguae tam peritus fuerit, ut facile enuntiato alicui eam tribuerit formam, quae apta sit ad participii fut. act. significationem certissime designandam. quae cum ita sint, explicationem Draegeri falsam esse patet. Livius autem quam pari intervallo et a perangusto priorum et liberiore posteriorum scriptorum usu distet occasione data demonstrabimus. praeter Sallustium, Velleium, Tacitum etiam Curtium usum participii, de quo agitur, in deliciis habuisse Draeger p. 79 contendit.

Est autem, si singulae species spectantur, participii fut. act. tam varius usus, ut significet: I) eum, qui vult aliquid facere. II) eum, qui iam in eo est, ut aliquid faciat. III) eum, cui tanquam fato destinatum est, ut aliquid faciat itaque sortem suam non effugiat. IV) eum, qui aliquid faceret, si certa quaedam condicio ad effectum adducta esset. (participium enuntiati condicionalis, cuius argumentum in praesens tempus cadit, vice fungitur.) V) eum, qui certa quadam condicione aliquid fecisset.

I. Participium fut. act. usurpatur ad designandum eum qui aliquid vult perficere.

Tac. ann. II, 17 *Stertinium cum ceteris turmis circumgredi tergaque invadere iubet ipse in tempore adfuturus.* IV, 39 *haberet in animo amicum sola necessitudinis gloria usurum.* XII, 2 *nihil novum . . . disserebat si sueta coniunx rediret haudquaquam novercalibus odiis visura Britannicum et Octoviam.* XII, 49 *Pelignus . . . tanquam reciperaturus Armeniam . . . venit.* XIII, 20 *nos consensum auctorum secuturi quae diversa prodiderint sub nominibus ipsorum trademus.* XIV, 8 *si ad visendum venisset refotam nuntiaret sin facinus patraturus nihil de se filio credere.* XIV, 41 *ultionem elusurus.* XV, 10 *duxit legiones quasi proelio certaturus.* hist. I, 33 *obsidionem nimirum toleraturus.* I, 66 *Tota mole secuturus.* I, 83 *veni postulaturus.* II, 48 *ut periturus.* II, 53 *redire omnes Bononiam rursus conciliaturi.* II, 58 *ut transmissurus.* III, 3 *huc illuc tracturus.* III, 48 *clausis annonae subsidiis inopiam et discordiam hosti facturus.* III, 63 *abrupta undique spe Vitellianus miles transiturus in partes.* IV, 85 *nec parvis periculis immixtus et maioribus non defuturus.* V, 11 *rebus secundis longius ausuri*

1) Ad explicationem nostram melius intellegendam non inutile est relegare ad Graecorum optativum qui vocatur iterativum, cum in eo quoque usu notio iterationis optativo non insita, sed totius enuntiati propria sit.

et si pellerentur parato perfugio. Agric. 1 *narraturo mihi vitam.* 18 *bellum inchoaturo.* 32 *exprobraturi.* Dial. 10 *summa adepturus.* 33 *forum ingressuri.* Vell. II, 70 *impetravit a . . . . familiare suo ut manum morituro commodaret sibi.* II, 109 *tanquam in omnes semper venturus ab omnibus timebatur.* II, 123 *interfuturus athletarum certaminis ludicro . . . processit in Campaniam.* hist. IV, 62, 18 *nos suspecti sumus aemuli et in tempore vindices adfuturi.*

II. Participium fut. act. usurpatur ad designandum eum qui in eo est ut aliquid perficiat.

Tac. ann. IV, 30 *spatium oravit quo tantum itineris adituros fratres ante matremque viseret.* XV, 34 *petiturus maris Hadriae traiectus apud Beneventum interim consedit.* Agric. 25 *hostes irrupturos.* 32 *ituri.* Germ. 3 *primumque omnium virorum fortium ituri in proelia canunt.*

III. Participium fut. act. designat eum, cui tanquam a fato praedestinatum est, ut aliquid faciat quique ipse sorti alicui obnoxius est.

Tac. ann. I, 24 *perpulere ut Drusum . . . mitteret . . . ex re consulturum.* I, 81 *speciosa verbis re inania et subdola quantoque maiore libertatis imagine tegebantur tanto eruptura ad infensius servitium.* II, 8 *erratumque in eo quod non subvexit et transposuit militem dextras in terras iturum.*[1]) II, 58 *miserat amicitiam ac foedus memoraturos.* II, 63 *quasi rediturus in regnum ostentabatur.* III, 57 *deridiculo fuit senex foedissimae adulationis tantum infamia usurus.* IV, 38 *haec pulcherrimae effigies et mansurae.* IV, 46 *misere legatos amicitiam obsequiumque memoraturos.* XII, 25 *se quoque accingeret iuvene partem curarum capessituro.* XIII, 15 *igitur ceteris diversa nec ruborem allatura.* XIV, 4 *matris periturae.* XIV, 20 *erant qui Graecum quoque Pompeium incusatum a senioribus ferrent quod mansuram theatri sedem posuisset.* XIV, 38 *novum legatum opperiendum esse sine hostili ira et superbia victoris clementer dedidis consulturum.* XIV, 33 *tanquam reddituri supplicium.* XII, 9 *aetati utriusque non absurdum et maiora patefacturum erat.* XII, 50 *Radamistus invasit . . . . tanquam adversus defectores et in tempore rebellaturos.* XIII, 57 *quanto magis profana et usu polluta tanto magis oppresura ignes.* III, 32 *deligendum pro con-*

1) Hoc de loco cf. append. crit.

sule gnarum militiae corpore validum et bello suffecturum. V, 11 *ponerent odia in perniciem itura.* hist. I, 11 *inermes provinciae . . . cessurae erant.* I, 19 *laturus.* I, 27 *pars silentio animum ex eventu sumpturi.* I, 32 *quippe eodem die diversa pari certamine postulaturis.* I, 35 *in periculo non ausurus.* I, 53 *cuique alii profuturus.* I, 71 *eo plus formidinis afferebant falsae virtutes et vitia reditura.* I, 75 *nihil amissuri.* I, 78 *ostentata magis quam mansura.* II, 16 *temeritas tanta mole belli nihil in summam profectura*[1]) *ipsi exitiosa.* II, 49 *Othoni sepulcrum exstinctum est modicum et mansurum.* II, 80 *ut legatum salutaturi imperatorem salutavere.* III, 56 *ita formatis principis auribus ut aspere quae utilia nec quicquam nisi iucundum et laesurum acciperet.* III, 58 *dum vulgus ignarum et nihil ultra verba ausurum falsa specie exercitum et legiones appellat.* IV, 50 *optimo cuique exitiosus et inter causas malorum quae mox tulimus saepius rediturus.* V, 5 *summum illud et aeternum neque imitabile neque interiturum.* Germ. 40 *arcanus hinc terror sanctaque ignorantia quid sit illud quod tantum perituri vident.* dialog. 2 *tanquam habiturus.* 9 *mansurum in animo, cuiusquam beneficium.* 10 *meditatus videris ultro elegisse personam notabilem et cum auctoritate dicturam.* 22 *firmus sane paries et duraturus.* 34 *scitis enim magnam illam et duraturam eloquentiae famam . . . parari.* 37 *non suffecturi honoribus.* Vell. II, 5 *quem moriturum miserat militem victorem recepit.* II, 31 *in iis homines extraordinario reformidant qui ea suo arbitrio aut depositurі aut retenturi videntur.* II, 36 *consulatui Ciceronis non mediocre adiecit decus natus eo anno divus Augustus abhinc annos nonaginta omnibus omnium gentium viris magnitudine sua inducturus caliginem.* II, 42 *illud referatur documentum tanti mox evasuri viri.* II, 59 *patribus bellis civilibus . . . . eum* (Octavium) *in studia miserat mox belli Getici ac deinde Parthici habiturus commilitonem.* II, 71 *Varro ad ludibrium moriturus Antonii digna illo ac vera de exitu eius magna cum libertate ominatus est.* II, 74 *Antonius transmarinas obiturus provincias substitit.* II, 123 *Caesar Augustus cum Germanicum nepotem suum reliqua belli patraturum misisset in Germaniam.* Sall. Iug. 1, 5 *quodsi hominibus bonarum rerum tanta cura esset quanto studio aliena ac nihil profutura multaque etiam periculosa ac perniciosa petunt.* 35, 10 *urbem venalem et mature perituram si emptorem invenerit.* hist. IV, 61, 12 *acerbissimas poenas solvunt Ptole-*

1) Ex Freinsheimii mutatione pro profutura.

maeus pretio in dies prolatans Cretenses impugnati semel iam neque finem nisi excidio habituri.

IV. Participium futuri activi designat eum qui aliquid faceret, si certa quaedam condicio ad effectum adducta esset.

Tac. ann. I, 36 *augebat metum gnarus Romanae seditionis et si omitteretur ripa invasurus hostis.* I, 45 *Caesar arma classem socios . . . dimittere Rheno parat si imperium detrectetur bello certaturus.* hist. II, 40 *militem itinere fessum sarcinis gravem obicere hosti non omissuro quominus expeditus . . . aggrederetur.* Vell. II, 89 *orbis et tot extra Italiam domique opera omne aevi sui spatium impensurum in id solum opus scriptorem fatigarent.*

V. Participium fut. act. usurpatur ad designandum eum qui certa quadam condicione aliquid fecisset.

Tac. ann. I, 28 *noctem minacem et in scelus erupturam fors lenivit.* II, 17 *insignis Arminius manu voce vulnere sustentabat pugnam incubueratque sagittariis illa rupturus, ni Raetorum Vindelicorumque et Gallicae cohortes signa obiecissent.* III, 66 *Bruttidium . . . . ad clarissima quaeque iturum festinatio exstimulabat.* hist. II, 97 *trium legionum legati pares iure et prosperis Vitellii rebus certaturi ad obsequium adversam eius fortunam ex aequo detrectabat.* III, 19 *spernuntur centuriones tribunique ac ne vox cuiusquam audiatur quatiunt arma rupturi imperium ni ducantur.* III, 54 *prohibiti per civitatem sermones eo plures ac si liceret veri narraturi quia vitabantur atrociora vulgaverant.* Vell. II, 88 *resurrecturi belli civilis restinxit initium.*

His expositis clarum est Madvigium[1]) vehementer errare, cum doceat usum participii fut. act. apud Sallustium eundem esse, quem apud Ciceronem et Caesarem. etiamsi enim Sallustius participio fut. act. pro enuntiato condicionali nunquam usus est, tamen aliis generibus non abstinuit. praeter Tacitum autem, qui hoc in usu ceteros scriptores antecedit, etiam Velleius, quem grammatici silentio praeterierunt, de usu illo variando optime meritus est. Livius contra pro amplitudine scriptorum parcissime liberiora genera admisit, praesertim cum condicionalem usum respicias, itaque Kuehnast et alii plus quam tria, exempla conquirere non possunt velut Liv. 45, 35, 6 *dederat*

1) G. L. § 424, 5.

nihil relicturis si aviditati indulgeretur quod in aerarium deferret. (ad IV). 8, 17, 10 *eo certamine superior Alexander incertum qua fide culturus si perinde cetera processissent pacem Romanis fecit.* 6, 38, 10 *quod eundem M. Furium dictatorem insequens annus habuit haud sine pudore certe fractum priore anno in se imperium repetiturum.* faciunt etiam ad idioma illud clarius illustrandum et exemplum, quod ex Plinio epist. III, 21 Madvig l. l. commemorat *Martialis dedit mihi, quantum potuit, daturus amplius, si potuisset* (= et dedisset amplius); et illud, quod ex Iuvenalis satira I, 69 (ed. C. F. Hermann) mihi in mentem venit: *occurrit matrona potens, quae molle Calenum porrectura viro miscet sitiente rubetam* (porrectura = quae iussa erat porrigere).

B. De participio praesentis et perfecti quod nullo addito substantivo in locum enuntiati condicionalis substitutum est.

Qui sit varius usus participii fut. act. in prima huius paragraphi parte explicatum est, ubi haud raro condicionali notione eaque admodum subtili id instructum esse vidimus. etiam aliorum temporum participia per se sola apta sunt ad rationem hypotheticam exprimendam ita, ut prorsus vice enuntiati secundarii fungantur, quamquam concedendum est qua varietate participium fut. act. excellat, eam a ceteris participiis esse alienam, nam ratio in omnibus fere exemplis eadem est. quo fit, ut cum in usu participii fut. act. excolendo Tacitus et Velleius eximium locum obtineant, in hac re nihil inter illos discriminis sit ceterosque scriptores. Sallustii vix sunt exempla, quae si rem ad vivum resecas huc possint referri. nihilo tamen secius totus hic usus multo artificiosior est, quam ille, quem sub A. tractavimus, quia ad sensum condicionalem participia futuri per se propius accedunt, quam vel praesentis vel perfecti.

Conferenda sunt: Tac. ann. III, 45 *quam decora victoribus libertas quanto intolerantior servitus iterum victis.* IV, 6 *semel assumpti tenebantur prorsus sine modo.* XII, 40 *haec coniunxi ne divisa haud perinde ad memoriam sui valerent.* XIII, 27 *dispiceret quisque merita tardeque concederet quod datum non adimeretur.* XIII, 40 *iusserat ut instantibus comminus resisterent.* XIV, 55 *nec mihi tela et manus tuae defuissent in armis agenti.* XIV, 58 *denique aut salutem tali consilio quaeri* (scil. discit) *aut nihil gravius audenti quam ignavo patiendum esse.* XV, 1 *levius servitium apud Romanos deditis quam captis esse.* hist. I, 22 *si auderet ut sua*

ostentantes quiescenti ut aliena exprobrabant. II, 85 *tres Moesicae legiones per epistolas alliciebant Pannonicum exercitum aut abnuenti vim parabant.* III, 54 *quippe continenti consultantique superant spes viresque.* III, 63 *relictae simul e victricibus legiones neque quiescentibus graves et adversus contumaciam validae.* III, 66 *moriendum victis moriendum deditis.* IV, 17 *manentibus honorata militia digredientibus spolia Romanorum offerebantur.* IV, 32 *denique ausos aut libertas sequetur aut victi idem erimus.* IV, 66 *Civilis societate Agrippinensiam auctus proximas civitates affectare aut adversantibus bellum inferre statuit.* Vell. II, 107 *nostra quidem furit iuventus quae cum vestrum numen absentium colat praesentium potius arma metuit quam sequitur fidem.*

C. De participio praesentis, perfecti, futuri quod nullo addito substantivo in locum enuntiati concessivi substitutum est.

Tac. ann. I, 13 *Augustus cum tractaret quinam adipisci principem locum suffecturi abnuerent.* I, 72 *nomen patris patriae Tiberius a populo saepius ingestum repudiavit.* I, 65 *incautum Cotyn et . . . . sacra regni eiusdem familiae deos et hospitalis mensas obtestantem catenis onerat.* II, 60 *Tiberius vim principatus sibi firmans imaginem antiquitatis senatui praebebat.* XIV, 61 *in urbem ipsa pergeret ad cuius nutum absentis tumultus cierentur.* hist. IV, 3 *transrhenanos proelium poscentis ad scindendum vallum ire detrusosque redintegrare certamen iubet.*

D. De gerundio enuntiati condicionalis vice fungenti.

Modalis ablativi gerundii usus primus Madvig rationem habuit; de condicionali autem usu frustra libros grammaticorum pervolutes ac tamen luce clarius est apud Velleium II, 125 *neque diu latuit aut quid non impetrando passuri fuissemus aut quid impetrando profecissemus* gerundium in locum enuntiati secundarii condicionis notione praediti substitutum esse. nam quid non impetrando passuri fuissemus aeque valet ac quid passuri fuissemus nisi impetravissemus (sc. vota nostra).

Alia huiusce generis exempla non habemus.

§ 16.

De genetivo inprimisque de genetivo per ellipsin vulgo explicato.

Quae fuerint huius usus explicandi varia tentamina copiosius exponere nolumus: omnia non posse falsa et perversa non esse

unusquisque pro certo habebit, qui Emanueli Hoffmanni[1]) commentationem ingeniose scriptam attente perlegerit. repudiata enim ratione explicandi priorum, quibus aut ad Graecorum sermonem relegasse aut usum loquendi aliquem nomine tantummodo designasse aut statuenda ellipsi angustiis se expedivisse suffecit, vir ille doctissimus grammaticam rationem talium structurarum sagacissime indagavit earumque vim et potestatem argumentis ad persuadendum aptissimis ex linguae Latinae certis legibus repetivit probe sciens, quantus fructus redundet ex historia structurarum consideranda. huic enim propositum est usum loquendi aliquem ad prima vestigia reducere et explicare, quomodo magis magisque crescens eam formam acceperit, quae explicari prorsus nequeat, nisi ipsam illam grammaticae artis disciplinam respexerimus. cui rei cum Hoffmann minime deesset, optime effecit, ut crimen illud refelleret quod Tacito datum est, tanquam si structuras ex Graecorum sermone repetitas ita adhibuisset, ut non recta ratio esset inter illas et generales linguae Latinae leges.[2]) immo demonstravit omnes res quae aliquid offensionis habere videbantur ex Taciti arte linguae excolendae et perpoliendae posse explicari. nam profecto Tacitus linguae leges haud parvi aestimat, sed indefesso studio parvula initia persequens novas et inauditas formas procreavit. itaque videbimus in historia alicuius structurae, licet haud facilis sit ad persequendum, tamen, si veras linguae leges spectas, — ut Ciceronis illud ad incrementum sermonis humani transferamus — extrema primis, media utrisque, omnia omnibus respondere. ac talium quidem structurarum similitudini annumeres etiam usum genetivi gerundii per ellipsin vulgo explicatum, quem deinceps praeeunte E. Hoffmanno tractabimus, ubi etiam suo quoque loco indicatum est, quibus exemplis collectionem Hoffmanni suppleverimus et cur nonnun quam in interpretandis exemplis ipsis ab opinione eius recedamus. itaque primo loco disputabitur de iis exemplis, in quibus

I. Genetivus gerundii vice infinitivi in nominativo casu prolati fungi videtur.

Constat Romanos nomini generis nomen speciei adicere maluisse genetivum quam appositionem. hoc fingas exemplis: pro

1) Der angeblich elliptische gebrauch des genetivus gerundii und gerundivi, Jahrb. für Phil. u. Paed. CIX p. 545 ff.

2) Hoc vitio non carent Zernialis egregiae dissertationis (Selecta quae-

dono ei dedit librum malebant dicere donum libri. atque eam consuetudinem in genetivum gerundii transferri non esse potest cur miremur. exempla huius usus, quem nemo ignorat, sunt ea, quae supra § 11 commemoravimus. quare nihil restat, quam ut profiteamur de grammatica ratione loci Tacit. ann. II, 43: *Plancinam haud dubie Augusta monuit aemulatione muliebri Agrippinam insectandi* sententiae Hoffmanni nos prorsus non assentiri (cf. § 8, IV). singularem huius usus speciem Hoffmann exhibet Liv. XXXV, 49, 13 *nam quod optimum esse dicunt non interponendi vos bello nihil immo tam alienum rebus nostris est* quod hoc loco genetivus epexegesis instar accedit ad pronomen generis neutrius. eiusdem fere generis est: Vell. II, 128, 1 *neque novus hic mos senatus populique Romani est putandi quod optimum esse nobilissimum*, quamquam in hoc exemplo genetivus in locum infinitivi qui praedicatum praebet substitutus esse videtur. itaque perbene explicat Hoffmann: neque novus hic mos senatus populique Romani est putandi quod qu. s. idem esse ac: hic mos putandi .... non novus est. non aliter se habent: Cic. Brut. 74, 258 *aetatis illius ista laus fuit tanquam innocentiae sic latine loquendi.* Liv. XXXIV, 25, 5 *omnium principum Graeciae eadem sententia erat cum causa belli non esset inde potissimum ordiendi belli.* audaciora habemus, si subiectum praedicato per attractionem ita commutatur, ut genetivo casu utatur, quod factum esse videtur in Sen. cons. ad Polyb. X, 29 *est mihi crede magna felicitas in ipsa felicitate moriendi.* idem certo accidit Cic. Brut. I, 4, 3 *ne frustra oppressum esse Antonium gavisi simus neu semper primi cuiusve mali excidendi causa sit ut aliud renascatur illo peius.*

Quamquam concedendum est talia exempla a Taciti scriptis esse aliena, tamen aliae eaeque audacissimae formae tanquam ultimi insolentiae fines soli Tacito vindicandae sunt. potest enim praedicatum esse etiam adiectivum generis neutrius vice substantivi fungens, velut ann. XIII, 26 *nec grave manumissis per idem obsequium retinendi libertatem per quod assecuti sunt.*[1]) XV, 5 *Vologaesi vetus et penitus infixum erat arma Romana vitandi.* huius consuetudinis similitudinem quandam praebent locutiones quales

---

dam capita ex genetivi usu Taciteo) eae partes, ubi de gerundii et gerundivi genetivo agitur p. 56 squ.

1) De hoc loco cf. append. crit.

sunt: lubricum itinerum — obscurum noctis, hist. I, 79; II, 4. seorsum tractandus est locus, qui invenitur Tac. ann. XV, 21 *at nunc colimus externos et adulamur et quomodo ad nudum alicuius grates ita promptius accusatio decernitur. decernatur et maneat provincialibus potentiam suam tali modo ostentandi.* non enim primo adspectu intelleges subiectum verbi maneat ex (accusatio) decernatur assumendum esse.

Iam considerabuntur exempla, in quibus

II. Genetivus gerundii et gerundivi sensu finali positus esse videtur.

Ut bene intellegatur, quomodo lingua a simplicioribus formis ad audaciores paulatim transierit secernendae hae sunt species:

A. Genetivus ita cum nomine suo coniunctus est,

ut in unam cum illo notionem coalescat, quamquam nihil impedit, quominus genetivo praedicativam vim tribuamus et ad verbum potius referamus. velut Sall. hist. I, 48, 3 *M. Aemilius omnium flagitiosorum postremus qui peior an ignavior sit deliberari non potest exercitum opprimendae libertatis habet.* aliud est exemplum, quod Hoffmannum fugit, quamquam in eadem oratione (6) exstat: *cum privata arma opprimundae libertatis cepisset* (Lepidus) *sibi quisque opes aut patrocinia quaerendo consilium publicum corruperunt.* Tac. ann. XII, 24 *a foro boario . . . sulcus designandi oppidi coeptus.* plūra exempla ipse facile invenias § 11.

B. In genetivo gerundivi sensu praedicativo

praedito continetur explicatio ad subiectum spectans adiuncta copula esse.

Huius usus pauca tantummodo suppetunt exempla. Tac. ann. I, 3 *olendae magis infamiae ob amissum cum Quintilio Varo exercitum quam cupidine proferendi imperii.* XI, 3 *dein percursis Asiatici in rem publicam officiis recentique adversus Britanniam militia quaeque alia conciliandae misericordiae videbantur.* Sall. Cat. 6, 7 *regium imperium quod initio conservandae libertatis atque augendae reipublicae fuerat.* b. Alex. 65, 1 *quod . . . multa contra morem consuetudinemque militarem fierent quae dissolvendae disciplinae severitatisque essent.* quae sequuntur exempla apud Hoffmannum desunt: Sall. Iug. 88, 4 *quae postquam gloriosa modo neque belli patrandi cognoverat statuit.* hist. I, 41, 8 *ille eo processit, ut nihil*

gloriosum nisi tutum et omnia retinendae dominationis honesta existumet.[1])

C. Audaciorem in modum genetivus ut praedicativa

epexegesis ad obiectum, non ad subiectum accedit, quem usum Sallustius et Tacitus singulari prae aliis studio amplexi sunt velut: Sall. hist. I, 48, 10 *quae* (arma civilia) *ille advorsum divina et humana omnia cepit non pro sua aut quorum simulat iniuria, sed legum ac libertatis subvortundae.* Tac. ann. II, 37 *nec ad invidiam ista, sed conciliandae misericordiae refero.* III, 27 *pulso Tarquinio adversum patrum factiones multa populus paravit tuendae libertatis et firmandae concordiae.* III, 41 *spectatus et Sacrovir intecto capite pugnam pro Romanis ciens ostentandae ut ferebat virtutis.* VI, 30 *pecuniam a Vario Ligure omittendae delationis ceperant.* ib. *quae seditiosa et corrumpendae disciplinae mox in praedam vertebat* (deest apud Hoffmannum). eiusdem generis esse putes etiam Tac. ann. III, 27 *nam secutae leges etsi aliquando in maleficos ex delicto saepius tamen dissensione ordinum et adipiscendi illicitos honores aut pellendi claros viros aliaque ob prava per vim latae sunt.* quomodo enim genetivus ex comparatione cum locutionibus usitatissimis quales sunt: lex maiestatis — lex iudiciorum publicorum — leges repetundarum aliae explicari possit Hoffmann docet.

D. Genetivus gerundivi ut epexegesis praedicativa

non tam pertinet ad obiectum ipsum, quam ad actionem ab obiecto ad effectum adducendam.

---

1) Nullo iure Hoffmann in numerum horum exemplorum refert Sall. Cat. 46, 2 *poenam illorum sibi oneri, impunitatem perdundae reipublicae fore credebat.* neque Dietsch rectam prodit interpretationem, cum dicat: der wechsel des ausdrucks ist ganz Sallusts gewohnheit (sibi oneri — perdundae reipublicae; dativus — genetivus) cuius sententiae si Dietsch argumenta ex Sallustii scriptis desumpta proferre iuberetur, nescio an magnas in angustias delaberetur. libenter faverem huic opinioni, si ad Tacitum spectaret, quem magis quam ceteros verborum concinnitatem repudiasse constat. neque quidquam Dietsch lucratur, si Sall. Cat. VI, 7 conferri iubet, quippe quo ex loco contrarium eius appareat, quod ipse demonstrare vult. quemadmodum enim illo loco ex verbis conservandae libertatis liquet augendae reip. secundum esse casum, ita hic perdundae reip. dativum esse ex antecedente voc. oneri patet.

Huius usus Tacitus solus patronus est. cf. hist. IV, 42 *sponte eas accusationes subisse iuvenes admodum nec depellendi periculi sed in spem potentiae videbatur.* ann. XIV, 11 *quas* (orationes) *Seneca testificando quam honesta praeciperet vel iactandi ingenii voce principis vulgabat.* luculentissimum autem est exemplum hist. IV, 25 *tum e seditiosis unum vinciri iubet magis usurpandi iuris quam quia unius culpa foret.*[1])

E. Ad audacissimam licentiam ea nostri usus forma provecta est, ubi nulla totius enuntiati vox invenitur, unde genetivus dependet. quod si fit, genetivus actionem subiecto designatam definire solet. ac praeter Tacitum omnes scriptores hoc usu abstinuerunt. ann. II, 59 *Germanicus Aegyptum proficiscitur cognoscendae antiquitatis.* III, 9 (Piso) *ab Narnia vitandae suspicionis an quia pavidis consilia in incerto sunt Nare ac mox Tiberi devectus auxit vulgi iras.* — Sunt igitur quattuor loci, quibus collectionem Hoffmanni supplevimus et tres, quorum syntacticam structuram a viro illo doctissimo haud recte expositam esse veramque explicationem nos prodidisse confidimus.

Quodsi manifestum videtur, genetivum gerundivi saepe totius enuntiati epexegesin esse, quaeritur, num revera finalis aut causalis significationis sit, quod Hoffmann prorsus denegat gravissimis nisus argumentis. repetit enim genetivum gerundivi ex ea ratione, quae valet apud nominum appositiones. nam genetivi illi ad unum obiectum pertinent, si solam syntacticam legem, cui obnoxii sunt, spectas. revera autem ad universum enuntiatum accuratius explicandum attinent. quo fit, ut non raro in locum appositionis nomine aliquo designatae substituere possis genetivum gerundii et huius in locum illam, sicut: ann. I, 30 pro *quosdam ipsi manipuli documentum fidei tradidere* sine difficultate

1) Etiam ann. II, 1 *Phraates .... partem prolis firmandae amicitiae miserat* Hoffmann huc referre videtur, id quod nos probare non possumus. nam firmandae amicitiae haud ambigue dativus est dependens a verbo miserat, nec similes locos cognoscendi occasio nobis deerit, in quibus verbum mittere cum aliis quam primae declinationis formis numeri singularis coniungitur. ceterum concedendum est per se saepius vix diiudicari posse, utrum secundus casus subsit an tertius, praesertim cum sensus idem maneat. sed quaeritur, utra structura vetustior sit. ac genetivi usum Livii demum temporibus ortum esse, priorem autem fuisse dativi demonstravit Jordan, Kritische Beiträge zur Geschichte der lateinischen Sprache. Königsberg 1879. p. 285 squ.

ponas: quosdam ipsi manipuli declarandae fidei tradidere et hist. IV, 25 pro *tum e seditiosis unum vinciri iubet magis usurpandi iuris quam quia unius culpa fuit* ponas: e seditiosis .... magis usurpationem iuris quam qu. squ.

Sine ulla igitur dubitatione utraque structura parem vim prae se fert, nec minus clarum est cur scriptores genetivi gerundivi structuram praetulerint ubi aut totum enuntiatum appositionis in vicem fungi opus fuit aut nomen appositionis prorsus repudiari debuit, quia obiectum defuit cui inhaereret.

Exemplis sic allatis atque secundum genera dispositis facile erit ad diiudicandum, quem locum Sallustius et Velleius et Tacitus in usu illo loquendi excolendo obtineant, qua in re Velleio parva, Sallustio magna, Tacito summa laus tribuenda est. nescio enim, quo pacto factum sit, ut Velleius, quem linguae Latinae et novandis formis et verbis inveniendis tam magnam operam navasse constat, in hanc partem suae aetatis scriptoribus cesserit. nam unum tantummodo exemplum ad usum illum illustrandum praebet. exemplorum quae Sallustio debemus maior pars ex historiarum fragmentis sumpta est; atque hoc inde apparet quod in historiis demum Sallustii ars dicendi ad summum praestantiae gradum pervenit, quare quid discrimen intersit inter historias et cetera Sallustii scripta facillime cognosces, si, quae ratio intercedat inter Taciti historias et annales, eandem valere inter Sallustii historias ceteraque eius scripta statueris. quanto denique ingenii acumine Tacitus fuerit in his formis et amplificandis et variandis ita, ut nostra demum aetate exploratum sit unum subesse idioma idque simplicissimum et vere Latinum, ex accurata exemplorum perlustratione perspicias, quorum tam varia genera tamque libera esse voluit, ut omnia quae antecedentes scriptores procreaverunt complexus sit, permulta ipse excogitaverit. ceterum quod nonnunquam in usu structurarum, quae expressum aut novitatis aut audaciae signum prae se ferunt, observari licet, etiam hic mirum in modum accidit: videmus enim, in minoribus quae vocantur scriptis Tacitum insolentioribus structuris, nisi priorum usu iam notae erant, cautissime abstinere, at in historiis magno, in annalibus singulari studio audacissimas et ad explicandum difficillimas admittere. optime igitur etiam hoc usu ordo scriptorum quem Woelfflin constituit confirmatur: dialogus, Agricola, Germania, historiae, annales.

§ 17.

De dativo.

Agitur de una tantummodo structura, cuius vim et potestatem omnes grammatici perbene intellexerunt, quamquam grammatica ratio diu prorsus in ambiguo fuit. ex parvo exemplorum numero illud, quod Tac. Agr. 18 exstat, in medium proferamus: *quibus bellum volentibus erat.* diversae sunt virorum doctorum explicationes, quippe quorum alii structuram nostram mire cum ablativo absoluto comparent, alii ex usu dativi qui dicitur commodi interpretationem repetant, alii ad attractionem referant. sunt etiam, qui ex ellipsi subintellegenda veram explicationem duci posse pro certo habeant, qua opinione nulla alia magis ab legibus artis grammaticae abhorret. quae enim est interpretatio, qua locutionis alicuius natura non ex ipsa grammatica ratione deducatur, sed tanquam additamento extrinsecus allato difficultates vitentur potius quam expediantur?

Nos ab initio existimavimus illud idioma, quamquam artissima eius cum Graeca locutione *βουλομένῳ τινί ἐστί τι* communio est, tamen vere Latinum eiusque explicationem ex aliis analogice dictis repetendam esse. mox autem ita sententiam mutavimus, ut putemus et locutionem Latinam et Graecam, quoniam nexus grammaticus prorsus idem sit, etiam ex una eademque cogitandi ratione esse ortam itaque quae explicatio quadret ad Graecam, eandem pertinere ad Latinam. ac cardo vertitur in eo, quod verbum esse non copulae vim habet, sed aliquid exstare vel locum habere indicat: iam si accedit dativus personae qui vocatur cum participio verbi voluntatis coniunctus, scriptor significat rem menti eius obversari, qui eam velit. haec est natura locutionis mihi aliquid volenti est (es existirt etwas für mich, indem ich es will). ad idem redit Graecorum illud *ἐμοί τι βουλομένῳ ἐστί* (cf. Kritz ad Sall. Iug. 84, 3) neque historia nostrae structurae difficilis est ad persequendum. cum enim classicae qu. v. aetatis scriptores ea prorsus abstinuerint, Livius uno loco eam admisit XXI, 50, 10 *grande periculum maritimis civitatibus esse et quibusdam volentibus novas res fore*; Sallustius duobus: Iug. 84, 3 *quia neque plebi militia volenti putabatur.* 100, 4 *vigilias ipse circumire non tam diffidentia futurum, quae imperavisset, quam uti militibus exaequatus cum imperatore labor volentibus esset.* apud Tacitum autem istam locutionem omni caruisse insolentia inde

colligas, quod tria exempla ad hunc usum pertinentia non in annalibus, ultimo, si tempus spectes, Taciti scripto, continentur, sed in annalibus, historiis, Agricola pari exstant numero. cf. ann. I, 59, 1 *ut quibusque bellum invitis aut cupientibus erat.* hist. III, 43 *maturo ceterisque remanere volentibus fuit.* exemplum ex Agricola sumptum iam supra commemoravimus. — Velleius hunc loquendi usum repudiavit.

§ 18.

De Accusativo.

Considerandus erit usus verborum, qualia sunt: tradere, permittere, relinquere aliorum cum accusativo participii fut. pass. coniunctorum. atque notissima res est participium illud in hac coniunctione designare, ad quod consilium actio verbo definita spectet. finalis autem significatio inde perbene concludenda esse videtur, quod nonnunquam huic usui etiam praepositio ad cum accusativo gerundivi coniuncta vel solus infinitivus inserviunt, quamquam infinitivi usus magis ad poetas pertinet et in soluta oratione non nisi per duo verba dare et ministrare admitti solet. Ter. Andr. III, 2, 4 *quod iussi ei dari bibere et quantum imperavi date.* Cic. Tusc. I, 26, 65 *nec Homerum audio, qui Ganymedem disraptum ait propter formam ut Iovi bibere ministraret.* Liv. XL, 47 *ut bibere sibi iuberet dari.* inde etiam facile intellegitur Naegelsbachii[1]) praeceptum quo is tirones cavere iubet, ne ipsum gerundivum pro obiecto habeant, falsumque tale exemplum esse iudicat, quale sit: delendum pontem impedire. nos veram rationem eo ipso indicavimus, quod usui praedicativo haec gerundia attribuimus. sunt autem, quae huc spectant verba: habere, tradere, praebere, sumere, suscipere, permittere, relinquere, poscere (apud Tacitum); locare, relinquere, suscipere (apud Velleium); dare, attribuere, praebere (apud Sallustium). — Inprimis notandum est verbi curare, quod apud classicos scriptores in deliciis habetur, nullum nos invenisse exemplum, at septem Taciti locis verbum habere ex similitudine verborum tradere, permittere aliorum esse usurpatum. hoc Taciti solius videtur proprium esse.

Pertinent huc: Tac. ann. IV, 40 *posse ipsam Liviam statuere nubendum post Drusum an in penatibus isdem tolerandum haberet.*

1) Lat. stil. p. 99.

I, 70 *Germanicus legionum . . . secundam et quartam decimam Publio Vitellio ducendas tradit.* IV, 22 *reus frustra temptato ferro venas praebuit exsolvendas.* XIV, 44 *etsi nunc primum statuendum haberemus.* XII, 5 *nec ante omissa cunctatio quam Vitellius suis artibus id perpetrandum sumpsit.* hist. I, 25 *suscepere duo manipulares imperium populi Romani transferendum.* I, 15 *nihil praeteritum excusandum habeas.* II, 9 *Galatiam Pamphiliam provincias Calpurnio Asprenati regendas Galba permiserat.* II, 76 *polluendam perdendamque rempublicam relinquere.* III, 56 *trucidandum capiendumque tradidit.* III, 40 *per quos* (sc. commentarios) *nosceret quem quisque accusandum poposcisset.* IV, 61 *ferebatur parvulo filio quosdam captivorum sagittis iaculisque puerilibusque fingendos obtulisse.* IV, 63 *Civilis et Classicus . . . . an coloniam Agrippinensem diripiendam exercitibus suis permitterent dubitavere.* IV, 77 *neque aliud excusandum habeo.* dialog. 8 *quae non auditu cognoscenda sed oculis spectanda haberemus.* 13 *quid habent in hac fortuna concupiscendum.* 36 *respondendum haberent.* Vell. I, 13 *Mummius tam rudis fuit ut capta Corintho cum maximorum artificum perfectas manibus tabulas ac statuas in Italiam portandas locaret.* I, 16 *novam* (comoediam) *Menandrus aequalesque eius . . . . invenere . . . neque imitandam reliquere.* II, 124 *tandem magis ratione quam honore victus est cum quidquid tuendum non suscepisset periturum videret.* Sall. Iug. 6, 1 *non se luxu neque inertiae corrumpendum dedit.* 90, 2 *pecus . . . . auxiliaribus agendum attribuit.* hist. III, 61, 6 *cum interim more pecorum vos multitudo singulis habendos fruendosque praebetis.*

§ 19.

De Ablativo.

Ablativus i. e. ablativus praedicativa vi instructus[1]) quanta sit usus varietate, in universum constat. quare si nos hanc structuram accuratius tractandam suscipimus, id eo consilio fit, ut intellegatur illud idioma, quod a Ciceronis aetate usque ad Taciti tempora exigua tantum incrementa accepit, ab illo demum ita excultum esse, ut in varia genera et modos, quorum unicuique sui fines suaque indoles sunt, discesserit. quare ne quid desit, opus esse videtur obiter saltem describere, quanta delectatione Tacitus in iis quoque generibus ablativi absoluti, quae iam supe-

1) Cf. Müller-Lattmann, Latein. Schulgramm. § 58. E. Hoffmann, Jahrb. für Phil. CXI, pag. 783.

riores admiserunt scriptores, versatus sit. cum autem ante omnia genus ablativi definiendum sit, ad quem participium praedicativo sensu accedit, a modali huius casus notione proficiscendum videtur. ex ea enim pro nexu sententiarum ceterae significationes nascuntur omnes. itaque hunc ordinem sequemur, ut primo loco ablativos absolutos sensu modali, secundo temporali, tertio causali, quarto concessivo et sic porro ceteros enarremus et in singulis generibus pro natura participiorum exempla proponamus.

A. De ablativo absoluto qui vim modalem sibi vindicat.

Non sufficere ad usum ablativi absoluti recte intellegendum libros grammaticorum, ubi universus tantummodo usus tractatur neglectis singulis generibus saepius intellegi poterit. neque quae iam tractabuntur exempla ex grammaticorum sententiis idiomata suo iure utentia esse videntur. attamen res ita se habet et primitivum ut iam diximus apparebit id genus. cardo enim vertitur in eo, quod ista ablativi absoluti species falso cum ea confundi solet, quae causalem vim habet. sic Tac. ann. I, 77 *at theatri licentia proximo priore anno coepta gravius tum erupit occisis non modo e plebe, etiam militibus et centurione, vulnerato tribuno praetoriae cohortis dum probra .... prohibent* certo concedas ablativum absolutum epexegeticam quam dicunt notionem habere, quippe qui non explicet causam, propter quam theatri licentia gravius eruperit, sed qualis eius progressus fuerit. itaque patet Draegerum de vera huius exempli ratione errasse, quod statuit esse ablativum in modum participii aoristi Graecae linguae usurpatum, quasi vero ea, quae ablativis illis designantur, — quod ad tempus attinet — antecederent ea, quae enuntiato principali indicantur. alia exempla sunt:

a) ablativus absolutus participii praesentis.

I. Apud Tacitum:

ann. III, 67 *non temperante Tiberio qui premeret voce.* III, 68 *annuente Tiberio.* IV, 12 *ceterum laudante filium pro rostris Tiberio senatus populusque .... induebat.* IV, 13 *is quoque annus legationes Graecarum civitatium praebuit Samiis .... Cois petentibus.* IV, 25 *aderant servis omnes in barbaros praepeditis Numidarum equis aut diversos pastus pererrantibus.* IV, 49 *rebus turbatis malum extremum discordia accessit his deditionem aliis mortem et mutuos inter se ictus parantibus.* V, 7 *cunctis intrepidum vultum eius spectanti-*

bus. XI, 31 *strepente circum procaci choro.* XI, 37 *repperit fusam humi assidente matre Lepida.* XII, 8 *irridentibus cunctis.* XIII, 30 *stabat pro litore diversa acies densa armis virisque intercursantibus feminis.* XV, 46 *iam Spartacum et vetera mala rumoribus ferente populo.* XIII, 9 *discordia inter duces querente Umidio . . . testante contra Corbulone.* XV, 53 *primas sibi partes expostulante Scaevino.* Germ. 25 *quae* (animalia) *implicata umore mox durescente materia cluduntur.* Agric. 7 *iuvene admodum Domitiano et ex paterna fortuna tantam licentiam usurpante.* Agric. 11 *seu durante originis vi.* hist. I, 75 *Vitellianis impune per tantam hominum multitudinem mutua ignorantia fallentibus.* IV, 35 *duplex hinc seditio aliis revocantibus Voculam aliis redire in castra abnuentibus.* IV, 1 *res adversae discordiam peperere iis qui e superiore exercitu erant causam suam dissociantibus.* I, 13 *faventibus plerisque militum.* I, 22 *urguentibus etiam mathematicis.* I, 27 *audiente Othone . . . . interpretante.* I, 38 *nullo tribunorum centuriorumve adhortante.* I, 39 *languentibus omnium studiis.* I, 55 *nullo nitente . . . . quibusdam . . . . turbantibus.* I, 65 *venditante duce.* I, 79 *laeto Othone et gloriam in se trahente.* II, 36 *laeto milite et modestiore ad mutationem ducum et ducibus ob crebras seditiones tam infestam militiam aspernantibus.* III, 68 *prospectantibus etiam feminis.* II, 94 *contionante Vitellio.* II, 62 *strepentibus ab utroque mari itineribus.* III, 58 *etiam libertinis idem munus ultro flagitantibus.* III, 84 *multis increpantibus nullo illacrimante.* IV, 43 *ardentibus patrum animis.* Agric. 9 *comitante opinione.* 22 *irritis hostibus eoque desperantibus.* IV, 69 *nondum victoria iam discordia erat aliis foedera quibusdam opes viresque aut vetustatem originis per iurgia iactantibus.*

II. Apud Velleium:

II, 19 *Marius . . . . nudus a limo obrutus oculis tantummodo ac naribus eminentibus extractus . . . . perductus est.* II, 53 *hic . . . . praestantissimi viri . . . . vitae fuit exitus in tantum in illo viro a se discordante fortuna.*

b) ablativus absolutus partic. perfecti passivi.

I. Apud Tacitum:

Ann. IV, 9 *memoriae Drusi eadem, quae in Germanicum decernuntur plerisque additis ut ferme amat posterior adulatio.* IV, 36 *obiecta publice Cyricenis incuria ceremoniarum divi Augusti additis*

violentiae criminibus adversum cives Romanos. IV, 64 *ignis violentia ultra solitum affecit deusto monte Caelio.* VI, 5 *literae afferuntur quibus in modum defensionis repetita .... amicitiae principio crebrisque eius officiis commemoratis .... postulavit.* VI, 20 *immanem animum subdola modestia tegens non damnatione matris non exitio fratrum rapta voce.* VI, 45 *damnum Caesar ad gloriam vertit exsolutis domuum in insularum pretiis.* XII, 57 *vis aquarum prorumpens proxima trahebat convulsis ulterioribus aut fragore et sonitu exterritis.* XIII, 39 *omnes puberes trucidati sunt nullo milite amisso paucis admodum vulneratis.* XIII, 57 *assumpta etiam Stoicorum arrogantia sectaque.* XV, 16 *desertis passim sauciis.* XV, 38 *dum in tergum respectant lateribus aut fronte circumveniebantur vel si in proxima evaserant illis quoque igni correptis.* ib. *amissis omnibus fortunis diurni quoque victus.* XV, 48 *ineunt deinde consulatum Silius Nerva et Atticus Vestinus coepta simul et aucta coniuratione.* XII, 54 *aemulo ad deterrima Ventidio Cumano, cui pars provinciae habebatur ita divisis ut huic Galilaeorum natio, Felici Samaritae parerent.* Germ. 6 *in rectum aut uno flexo dextros agunt ita coniuncto orbe, ut nemo posterior sit.* Agric. 2 *adempto per inquisitiones etiam loquendi audiendique commercio.* 14 *paucis admodum castellis in ulteriora promotis.* ann. IV, 34 *Cremutius Cordus postulatur novo ac tunc primum audito crimine quod editis annalibus laudatoque M. Bruto C. Cassium Romanorum ultimum dixisset.* hist. I, 2 *consumptis antiquissimis delubris ipso Capitolio civium manibus incenso.* I, 14 *adhibitoque .... Mario Celso consule.* I, 20 *decuma parte .... relicta.* I, 40 *disiecta plebe proculcato senatu.* I, 63 *stratis per vias feminis puerisque.* I, 72 *corrupto ad omne facinus Nerone.* I, 81 *provectis insignibus vitata comitum et servorum frequentia.* II, 24 *pulsus Placentia caesis nuper auxiliis.* II, 34 *iactis insuper ancoris.* II, 43 *interfecto Orfidio Benigno legato.* II, 68 *duobus militibus .... per lasciviam ad certamen luctandi accensis postquam legionarius prociderat .... erupere legionarii in perniciem auxiliorum ac duae cohortes interfectae.* II, 18 *spretis centurionibus tribunisque.* II, 55 *congestis in modum tumuli coronis iuxta lacum Curti.* II, 68 *discubuerat Vitellius Ticini adhibito ad epulas Verginio.* II, 96 *suppresso Vespasiani nomine.* III, 20 *an oppugnationem inchoaturos adempto omni prospectu.* III, 65 *credebatur affectam eius fidem parce iuvisse domo agrisque pignore acceptis.* IV, 80 *adiunctis .... criminibus.* V, 20 *occiso praefecto castrorum.* Agric. 2 *expulsis insuper sapientiae professori-*

bus atque omni bona arte in exilium acta. 3 *exemptis tot annis.* 28 *occiso centurione ac militibus.* ib. *adactis gubernatoribus.* 39 *tot militibus caesis.* 43 *lecto testamento.* Germ. 3 *obiectis ad os scutis.* 12 *corpore infames coeno et palude iniecta insuper crate mergunt.* dial. 1 *servato ordine disputationis.* 31 *parato omni instrumento et ad omnem usum reposito.* Agr. 14 *subactis nationibus firmatisque praesidiis.* hist. I, 76 *initio Carthagine orto.* II, 53 *ipsum viventem quidem relictum, sed sola posteritatis cura et abruptis vitae blandimentis.* II, 85 *Moesiae rector pessimum facinus misso centurione ad interficiendum Tettium Iulianum.* V, 20 *ita divisis copiis.*

II. Apud Velleium:

II, 48 *qui si ante biennium quam ad arma itum est perfectis perfectis muneribus theatri et aliorum operum . . . . decessisset.* I, 12 *universa deinde instincta in bellum Achaia . . . . maxime Corinthiis in arma cum gravibus etiam in Romanos contumeliis instagantibus.*

c) De participii futuri activi, fut. pass., perfecti verborum depon. ablativo absol. omnium generum cf. p. 104 squ.

B. De ablativo absoluto qui rationi temporali inservit definiendae.

a) De participio praesentis temporis.

I. Apud Tacitum:

Ann. I, 1 *Tiberii Gaique et Claudii ac Neronis res florentibus ipsis ob metum falsae postquam occiderant recentibus odiis compositae sunt.* I, 53 *florentibus Gaio et Lucio Caesaribus.* II, 37 *assequentur florente te Caesar quos dederis honores.* II, 42 *florente Gaio Caesare.* II, 82 *vivente adhuc Germanico.* XIII, 14 *ferebatur degrediente eo . . . . non absurde dixisse.* XIII, 38 *Tiridates vergente iam die procul adstitit.* XIII, 8 *imperitante Claudio.* XV, 6 *abeunte Vologese.* XV, 34 *vesperascente iam die.* hist. I, 80 *incipiente nocte.* II, 49 *vesperascente die.* II, 39 *principium interno simul externoque bello parantibus fatis.* III, 19 *inumbrante vespero.* III, 34 *condita erat Ti. Sempronio P. Cornelio consulibus ingruente in Italiam Annibale.* III, 35 *manente adhuc civili bello.* III, 79 *potiente rerum patre.* V, 2 *regnante Iside.* dial. 11 *imperante Nerone.*

II. Apud Velleium:

II, 66 *furente deinde Antonio simulque Lepido instauratum Sullani exempli malum proscriptio.*

III. Apud Sallustium:

Iug. 71, 4 *dormiente illo epistolam super caput in pulvino temere positum sumit.*

b) Participii perfecti.

I. Apud Tacitum:

Ann. XII, 15 *Postremo exercitu coacto regem Dandaridorum exturbat.* XII, 16 *relicto ibi praesidio.* XII, 30 *acceptis agris.* XII, 31 *distributis cohortibus.* XII, 45 *specie assumpta.* XII, 51 *cognito nomine.* XII, 54 *causis rebellionis auditis.* XII, 56 *perrupto monte.* XII, 57 *tempore interiecto.* XIII, 8 *itinere propere confecto.* XIII, 17 *proviso ante funebri paratu.* XIII, 39 *tum circumspectis monumentis et quae expugnationi idonea provisis.* ib. *tribus una die castellis expugnatis.* XIV, 7 *vulgato periculo.* XIV, 21 *possessa Achaia Asiaque ludos accuratius editos.* XIV, 36 *pilis omissis .... confirmarent.* ib. *parta victoria cuncta ipsis cessura.* XIV, 59 *posito metu.* XV, 6 *omisso utrimque bello.* XV, 26 *Corbulo quarta et decumana legionibus .... in Suriam translatis ducit.* XV, 72 *quibus perpetratis.* XVI, 17 *accepto iussae mortis nuntio.* XVI, 21 *trucidatis totiens ignibus viris.* hist. I, 68 *dirutis omnibus.* I, 88 *turbatis rebus.* II, 21 *reddita securitate.* II, 24 *irritato proelio.* II, 44 *dispositis iam excubiis compressisque militibus.* II, 45 *remissa legatione.* III, 13 *ceteris per militiae munera dispersis.* III, 72 *pulsis regibus.* III, 74 *disiecto aeditui contubernio.* IV, 43 *occiso Nerone.* IV, 55 *interfecto Hordeoneo.* V, 11 *castris .... ante moenia Hierosolymorum positis instructas legiones ostentavit.* V, 12 *empto iure.* V, 22 *coepta caede.* Agric. 29 *mox limite acto promotisque praesidiis.* 33 *pulsis Bructeris ac penitus excisis.*

II. Apud Velleium:

I, 6 *duobus regibus Philippo et Antiocho devictis summa imperii ad populum Romanum pervenit.* II, 1 *interempto Viriatho.* II, 38 *post annos ferme duos et quinquaginta captis Syracusis.* ib. *eruta Carthagine abhinc annos centum septuaginta tres.* II, 59 *patratis bellis civilibus .... in studia miserat.* II, 69 *expugnata ea urbe.* II, 97 *illum .... plurimo eius gentis* (Germanicae) *variis in locis profuso sanguine fortuna iniquitas rapuit.*

III. Apud Sallustium:

Catil. 60, 1 *omnibus rebus exploratis.* 61, 1 *confecto proelio.* Iug. 8, 2 *Numantia deleta.* 13, 5 *patratis consiliis.* 16, 2 *C. Graccho*

et M. Fulvio Flacco interfectis. 28, 1 *Hiempsale interfecto.* 43, 5 *omnibus rebus paratis compositisque.* 37, 2 *consul exspectis legionibus cohortibusque auxiliariis.* 91, 2 *castris positis.* 93, 1 *diebus et laboribus consumptis.* 93, 5 *exploratis omnibus.* 94, 1 *paratis compositisque omnibus ad locum pergit.* 97, 3 *exercitu coniuncto.* 101, 10 *fugatis equitibus.* 104, 1 *confecto negotio.* hist. IV, 61, 20 *Romani arma in omnes habent acerruma in eos quibus victis spolia maxime sunt.*

Iam specie hac subtili subtiliorem exhibeamus. plerumque enim fit apud Tacitum, ut temporis definitio, quae particula aliqua in universum facta est, ablativo absoluto statim subsequente accuratius designetur. atque hic usus, quem Tacitus constantissime amplectebatur, quamquam per se minoris momenti est, utique commemorandus erat, praesertim cum alii scriptores eum non excoluerint. Vellei solius duo exempla exstant. unum exemplum clarius illustremus Tac. hist. III, 80 *agit grates Vitellius et ad tuendam urbem prorumpere iubet. mox vocato senatu deliguntur legati ex exercitu.* patet in particula mox generalem, in ablativo accuratiorem temporis definitionem inesse. similia sunt: Tac. ann. XII, 54 *mox gliscente pernicie.* XV, 10 *tunc relictis hibernis.* ib. *deinde omisso centurione et paucis militibus.* XV, 25 *tunc intellecto barbarorum irrisu.* XV, 29 *dein paucis diebus interiectis.* XV, 57 *post promissa impunitate.* XVI, 10 *tum hortante patre.* hist. II, 91 *mox mitigantibus amicis.* III, 11 *mox omissis lictoribus Patavium concessit.* III, 13 *mox incipientibus qui conscii aderant.* III, 51 *dein cognito facinore.* III, 80 *mox vocato senatu legati deliguntur.* IV, 1 *mox augescente licentia scrutari ac protrahere abditos.* IV, 25 *mox valescentibus Germanis.* IV, 32 *mox allatis Geldubam in castra nuntiis.* IV, 84 *interim triennio exacto.* Vell. II, 30 *mox crescente in dies multitudine.* II, 112 *mox crescentibus in dies vitiis dignum furore suo habito exitum.*

C. De ablativo qui vim habet causalem.

a) abl. absol. participii praesentis.

I. Apud Tacitum:

Ann. I, 1 *donec gliscente adulatione deterrerentur.* I, 12 *inter quae senatu ad infimas obtestationes procumbente dixit forte Tiberius.* I, 14 *hortante senatu.* I, 38 *intumescente motu.* I, 68 *Arminio suadente.* I, 70 *allabente aestu.* ib. *adversante unda.* II, 9 *illo*

referente. II, 23 *fluctu superurgente.* II, 30 *negante reo.* II, 31 *illis evertentibus.* II, 34 *propinquis coercentibus.* II, 42 *plerisque .... aliis .... cupientibus.* II, 47 *consulari obtinente.* II, 85 *illo praetendente.* II, 87 *incusante plebe.* II, 88 *abscedentibus Romanis.* III, 15 *cohortantibus filiis.* III, 16 *illo respondente.* III, 34 *temporibus postulantibus.* III, 46 *restantibus lamminis.* IV, 8 *deligit venenum quo paulatim irrepente fortuitus morbus assimularetur.* IV, 10 *illo ignaro et iuveniliter hauriente auctam suspicionem.* IV, 15 *accusante provincia.* IV, 19 *precante reo.* VI, 4 *urgente Agrippa.* VI, 5 *iis* (primoribus civitatis) *instantibus ad imperatorem provocavit.* VI, 36 *illiciente Vitellio.* XI, 22 *gliscentibus negotiis.* ib. *accendentibus vectigalibus.* XI, 14 *imperante eo.* XI, 30 *illa annuente.* XI, 31 *quis fatentibus.* XI, 32 *ceteris passim dilabentibus.* XI, 35 *praemonente Narcisso.* XII, 12 *vocante Carene promptasque res ostentante .... petunt.* XII, 44 *vergentibus iam annis.* XII, 63 *magnitudine urgente.* XII, 46 *cunctante ad ea Mithridate.* XIII, 12 *muliercula explente.* XIII, 15 *urgentibus minis.* XIII, 21 *commotis qui aderant ultroque spiritus eius mitigantibus.* XIII, 54 *illis aspernantibus.* XIV, 1 *cupientibus cunctis.* XIV, 2 *annotantibus proximis.* XIV, 26 *consensu durante.* XIV, 39 *flagrante libertate.* XIV, 45 *conglobata multitudine et saxa et faces minante.* XIV, 47 *praeumbrante imperatoris fastigio.* XIV, 48 *ceteris assentientibus.* XV, 3 *ingruente Vologese.* XV, 4 *erumpentibus nostris.* XV, 8 *instante iam hieme.* XV, 15 *pavido milite et concedente.* XV, 17 *hoc* (Corbulone) *conquerente .... respondit.* XV, 22 *abnuentibus consulibus.* XV, 55 *instantibus creditoribus.* XV, 64 *durante tractu et lentitudine mortis.* XVI, 4 *flagitante vulgo.* XVI, 35 *lentitudine exitus graves cruciatus afferente.* hist. I, 6 *remanente ea* (legione). I, 26 *ignorantibus plerisque.* I, 37 *alio imperante.* I, 46 *plerisque respicientibus.* I, 47 *annitentibus cunctis.* I, 54 *affirmantibus plerisque.* I, 68 *consectantibus Germanis Raetisque.* I, 79 *lapsantibus equis.* I, 85 *militibus turbantibus.* I, 86 *stagnantibus aquis.* II, 7 *bellantibus aliis.* II, 8 *pluribus vivere eum fingentibus credentibusque.* II, 12 *ut quibus temere collectis non castra non ducem noscitantibus neque in victoria decus esset neque in fuga flagitium.* II, 15 *sidente paulatim metu.* II, 19 *inserentibus se centurionibus tribunisque.* II, 25 *cedente sensim Celso.* II, 29 *deflagrante paulatim seditione.* II, 33 *Paulino et Celso iam non adversantibus.* II, 40 *Celso et Paulino abnuentibus.* III, 55 *flagitante exercitu.* III, 58 *superfluente multitudine.* III, 68 *nullo in bellum adhortante multis ad*

transitiones. ib. *fletu praepediente.* ib. *aspernante consule.* III, 80 *aspernante milite condicionis pacis.* IV, 1 *augescente licentia.* IV, 8 *etiam mediis patrum annitentibus.* IV, 13 *flagitante exercitu.* IV, 16 *erumpentibus indiciis.* IV, 20 *cedentibus Belgis pellitur legio.* IV, 25 *nullis supervenientibus.* ib. *exin consensu ducem Voculam poscentibus summam rerum ei permisit.* IV, 27 *paulatim aggregantibus se auxiliis acie certatum.* IV, 31 *adigente Hordeonio Flacco instantibus tribunis dixit sacramentum.* IV, 65 *congregantibus se cum maxime Romanorum exercitibus.* II, 48 *poscente proelium exercitu.* II, 51 *concedentibus iis copiis, quibus.* II, 54 *credentibus Othonianis militibus.* II, 57 *postulante exercitu.* II, 68 *insultante Gallo.* II, 86 *labantibus Vitellii rebus.* ib. *legionibus palam desciscentibus.* II, 88 *manente legionum auxiliorumque discordia.* ib. *praecurrentibus passim militibus.* II, 93 *redundante multitudine.* III, 4 *coeptante legionum motu.* III, 5 *nec his aut illis proelium temptantibus fortuna partium alibi transacta.* III, 7 *patentibus circum campis.* III, 11 *cedentibus collegis.* III, 21 *id vero aegre tolerante milite.* III, 25 *impedientibus vehiculis tormentisque.* III, 34 *crebrescente invidia.* III, 50 *umentibus Pado campis expeditum agmen incedere.* IV, 66 *perculsis civitatum animis vel sponte inclinantibus.* IV, 76 *coeuntibus undique exercitibus.* IV, 78 *impedientibus tentoriis.* V, 3 *ceteris per lacrimas torpentibus.* V, 4 *blandiente inertia.* ib. *tradentibus Idaeis.* V, 15 *lacessentibus Batavis.* Agr. 16 *vitiis blandientibus.* ib. *manentibus adhuc civilibus bellis.* 26 *utroque exercitu certante.* 35 *superante hostium multitudine.* 41 *cunctantibus cunctis.* dial. 33 *urguentibus imperii fatis.*

II. Apud Velleium:

II, 2 *omnibus statum concupiscentibus.* II, 23 *dominante in Italia Cinna.* II, 25 *confluentibus optimo quoque et saevissimo.* II, 30 *crescente multitudine.* II, 46 *dirimente fortuna.* II, 64 *relinquente exercitu.* II, 65 *hortantibus orantibusque exercitibus.* II, 70 *eo nuntiante.* II, 77 *expostulante consensu.* II, 79 *crescente in dies et classe et fama.* II, 103 *repugnante Nerone.* II, 123 *obnitente vi animi.* ib. *ingravescente invaletudine.*

III. Apud Sallustium:

Iug. 18, 3 *exercitus .... omisso duce ac passim multis sibi quisque imperium petentibus brevi dilabitur.* 99, 3 *ita cunctos .... nullo subveniente nostris instantibus .... formido quasi vecordia ceperat.*

b) Ablativus absolutus participii perfecti.

I. Exempla Taciti:

Ann. I, 25 *rursus viso Caesare trepidare.* ib. *tandem interrupto tumultu literas patris recitat.* I, 52 *missione festinata.* I, 56 *tentatis frustra condicionibus.* II, 62 *fracto iam Maroboduo.* II, 67 *iis* (liberis) *nondum adultis.* III, 33 *vinclis exsolutis.* III, 40 *audito exitio.* III, 52 *dissimulatis plerumque pretiis.* IV, 7 *corrupta uxore.* IV, 16 *omissa confarreandi assuetudine aut inter paucos retenta.* IV, 22 *temptato ferro.* IV, 36 *pulso rege.* IV, 43 *permisso publice arbitrio.* IV, 73 *soluto iam castelli obsidio.* VI, 3 *delecta Lesbo.* VI, 18 *postulato maiestatis Considio Proculo.* XI, 8 *distractis orientis viribus.* XI, 36 *tot illustribus viris interfectis.* XII, 14 *omni spe perdita.* XII, 15 *amissis opibus.* XII, 31 *effusis hostibus.* ib. *obsaeptis effugiis.* XII, 40 *cognita morte.* XIII, 12 *infracta paulatim potentia.* XIII, 53 *pervulgatis triumphi insignibus.* XIV, 5 *turbatis omnibus.* XIV, 17 *re ad patres relata.* XIV, 37 *cognitis prosperis rebus.* XIV, 38 *omni aetate ad bellum versa.* XIV, 42 *negata libertate.* XIV, 45 *conglobata multitudine.* XI, 16 *amissis nobilibus.* XII, 33 *sumpto loco.* XV, 1 *cognitis Corbulonis rebus.* ib. *fratre Tiridate pulso.* XV, 26 *fortissimo quoque amisso et ceteris exterritis.* XV, 52 *coniuratis permotis.* XV, 59 *prodita coniuratione.* hist. I, 4 *evulgato imperii arcano.* I, 6 *inducta legione Hispana.* I, 8 *finibus ademptis.* ib. *abducto Verginio.* I, 10 *attritis opibus . . . . suspecta iracundia.* I, 51 *paratis utrumque corruptoribus et perfidia impunita.* I, 67 *interceptis epistolis.* I, 70 *concitis auxiliis et interruptis fluminum pontibus.* I, 72 *impetrato Tigellini exitio.* ib. *addita ad vetus Tigellini odium recenti Titi Vinii invidia.* I, 76 *sic distractis exercitibus.* I, 79 *adempta equorum pernicitate.* I, 82 *lymphatis caeco pavore animis.* I, 89 *conversa in militum usum omni pecunia.* II, 1 *inclinatis ad credendum animis.* II, 11 *motis . . . . exercitibus.* II, 12 *ut quibus temere collectis non castra non ducem noscitantibus neque in victoria decus esset neque in fuga flagitium.* II, 14 *ne omnibus copiis in terrestre iter versis vacuo mari classis acceleraret.* II, 27 *posito hostium contemptu.* II, 28 *nuntio allato.* II, 38 *subacto orbe et aemulis urbibus regibusve excisis.* II, 39 *spretis melioribus deterrimi valebant.* II, 42 *repertis qui . . . . mentiarentur.* II, 44 *pulso equite rapta legionis aquila.* II, 54 *iunctis a Brixello viribus.* II, 56 *attritis Italiae rebus.* II, 58 *addita administratione.* II, 59 *mutatis animis.* II, 81 *additis legioni-*

bus. III, 6 *defectione audita.* III, 9 *temptatis animis.* ib. *coniuncto Moesico exercitu.* III, 12 *paucis obverberatis.* III, 17 *fracto ponte.* III, 27 *soluta compage.* III, 46 *obducto exercitu.* III, 50 *profligato bello.* III, 56 *formatis auribus.* III, 63 *abrepta spe.* III, 78 *abscisis omnibus praesidiis.* III, 79 *adiunctis quibusdam qui .... speculabantur.* III, 84 *capta urbe.* IV, 1 *interfecto Vitellio.* ib. *passim trucidatis ut quemque fors obtulerat.* IV, 3 *viso milite.* IV, 10 *motis animis.* IV, 13 *inclinato animo.* IV, 15 *viribus abductis.* IV, 28 *confusis Ubiis.* IV, 34 *credita fama.* IV, 50 *vastatis agris.* IV, 54 *vulgato rumore.* IV, 78 *effuso hoste.* V, 9 *redactis equitibus.* V, 19 *fusis imbribus.* V, 21 *interfecto fortissimo quoque.* Germ. 1 *cognitis quibusdam gentibus ac regibus.* Agric. 11 *amissa virtute.* 14 *vetere et iam pridem recepta populi Romani consuetudine.* 15 *remoto metu.* 16 *cognito metu.* 23 *summotis hostibus.* 31 *sublata spe.* dial. 19 *provulgatis omnibus.*

II. Vellei:

II, 1 *remoto Carthaginis metu sublataque imperii aemula.* II, 20 *corruptis centurionibus ac tribunis.* II, 62 *Caesaris adeo nulla habita mentio ut legati ... iuberentur summoto eo milites alloqui.* II, 68 *impetrato reditu.* II, 85 *desperata victoria.* II, 89 *prisca illa et antiqua rei publicae forma revocata rediit cultis agris.* II, 90 *amissis imperatoribus exercitibusque.* II, 98 *omnibus eius gentis nationibus in arma accensis.* II, 100 *aversis ... oculis.* II, 112 *iugulatis ab hoste quibusdam tribunis militum.* II, 113 *iunctis exercitibus ... contractisque in una castra.* II, 122 *fractis Germaniae viribus.* ib. *excisa Germania.*

III. Sallustii:

Cat. 18, 6 *ea re cognita.* 37, 5 *patrimoniis amissis.* 59, 1 *exaequato periculo.* Iug. 5, 6 *Mastanabale et Gulussa fratribus morbo absumptis.* 10, 1 *amisso patre.* 18, 3 *amisso duce.* 35, 1 *dedita Cirta et Adherbale interfecto.* 49, 5 *cognitis insidiis.* 65, 5 *nobilitate fusa.* 80, 1 *amissa Thala.* 82 *victo Iugurtha.* 85, 8 *accepta mercede.* 87, 4 *remoto metu.* 94, 4 *vineis subversis item accensis.* 98, 4 *hostibus conturbatis.* 101, 8 *profligatis iis quos adversum ierat.* 105, 1 *quibus rebus cognitis.*

D. De concessivo ablativi absoluti usu.

De concessivo ablativi absoluti usu particula apposita, quae rationem concessivam indicat, infra (§ 20) disputabitur. hic agi-

tur de iis locis, ubi ablativi natura concessiva non nisi ex conexu sententiarum perspici potest. quem usum cave ne credas illo rariorem et ab aureae qu. d. aetatis scriptoribus alienum esse, cum contraria potius ratio valeat.[1]) repudiatur enim ab illis ablativus absolutus, cuius concessiva significatio particula designatur. videmus autem illum usum, qui apud Ciceronem, Caesarem alios angustis finibus circumscriptus est, posteriore tempore valde amplificatum esse.

a) Abl. absol. participii praesentis.

I. Apud Tacitum:

Ann. XV, 10 *squalente litore.* I, 55 *decernitur Germanico triumphus manente bello.* I, 62 *igitur Romanus qui aderat exercitus legionum ossa nullo noscente alienas reliquias an suorum humo tegeret omnes ut coniunctos condebant.* I, 70 *impositae dein legiones vagante fama submersas.* IV, 64 *cunctis circumflagrantibus sola Tiberii effigies inviolata mansisset.* hist. I, 17 *statim intuentibus et mox coniectis in eum omnium oculis.* I, 37 *nullo exposcente.* II, 84 *quae gravia atque toleranda .... etiam in pace mansere ipso Vespasiano inter initia imperii ad obtinendas iniquitates haud perinde obstinante.* III, 56 *peritissimis centurionum dissentientibus.* III, 57 *obtestante Vocula.* III, 60 *quaerente sane Civile et increpante Germanos tanquam fidem per scelus obrumperent.* Agric. 15 *tenentibus arma plerisque.* dial. 11 *me nolente.*

II. Apud Velleium:

II, 103 *multum quidem eo cum domi tum in senatu recusante.*

III. Apud Sallustium:

Cat. 43, 3 *se si pauci adiuvarent languescentibus aliis impetum in curam facturum.* 63, 4 *ergo ubi primum tribunatum militarem a populo petit plerisque faciem eius ignorantibus facile notus per omnes tribus declaratur.* Iug. 92, 3 *pauca* (oppida) *repugnantibus Numidiis capit.* hist. IV, 61, 13 *abnuente Tigrane.*

b) Ablativus absol. partic. perf. pass.

I. Apud Tacitum:

Ann. XIII, 37 *Corbulo quaesito diu proelio frustra habitus.* ib. *oratores qui expostularent cur datis nuper obsidibus redintegrataque*

1) Cf. Gossrau, Gramm. Lat. p. 530.

amicitia . . . depelleretur. XIV, 60 *actae ob id de ancillis quaestiones et vi tormentorum victis quibusdam ut falsa annuerent plures perstitere . . . tueri.* I, 10 *consulti per ludibrium pontifices an concepto necdum edito partu rite nuberet.* I, 45 *sic compositis praesentibus haud minor moles supererat.* II, 25 *invictos Romanos praedicabant qui perdita classe amissis armis irrupissent.* IV, 62 *miserandi magis quos abrupta parte corporis nondum vita deseruerat.* hist. I, 17 *statim intuentibus et mox coniectis in eum omnium oculis.* I, 20 *omnibus suspectis.* II, 6 *proximo civili bello turbatis aliis inconcussa ibi pax.* II, 15 *sustentata diu acie.* II, 52 *posito ubique bello magna pars senatus extremum discrimen adiit.*

II. Apud Velleium:

I, 13 *neque se Roma iam terrarum orbi superato securam speravit fore.* II, 105 *pietas sua Caesarem paene obstructis hieme Alpibus in urbem traxit.*

III. Apud Sallustium:

Cat. 26, 1 *his rebus comparatis Catilina . . . petebat.* hist. IV, 61, 16 *nunc quaeso considera nobis oppressis utrum firmiorem te ad resistendum an finem belli futurum putes.*

E. De ablativo absoluto adversativo sensu posito.

Aliud genus ablativi absoluti, cuius in libris grammaticis non iusta ratio habetur, apparet, si sensus adversativus ablativo designatur. etiam huius generis natura ex tota enuntiati indole concludenda est. in nostram linguam tales structurae verti solent per coniunctionem während additis correlativis particulis einerseits — andererseits, sicut Tac. hist. II, 57 *pauci veterum militum in hibernis relicti festinatis per Gallias dilectibus ut remanentium legionum nomina supplerentur, wenige alte soldaten wurden in den winterquartieren zurückgelassen, während andererseits die werbung in Gallien beschleunigt wurde, damit die zurückgebliebenen legionen ergänzt würden.* alia exempla sunt:[1]) Tac. ann. II, 74 *ceteris modice nisis inter Vibium Marsum et Cn. Lentium diu quaesitum.* XIV, 37 *sunt qui . . . octoginta milia Britannorum cecidisse tradant militum quadringentis ferme interfectis nec multo amplius vulneratis.* XIV, 42 *senatus obsessus in quo ipso*

1) Exemplorum numerus non ita magnus est, ut intersit ea secundum tempora ordinare, quare promiscue proferuntur.

erant studia nimiam severitatem aspernantium pluribus nihil mutandum censentibus. hist. II, 42 *omisso pilorum iactu gladiis et securibus galeas loricasque perrumpere.* II, 69 *pietatem militum collaudavit frementibus auxiliis tantum impunitatis atque arrogantiae legionariis accessisse.* II, 87 *onerabant multitudinem obvii ex urbe senatores . . . . omnes ne aliis proficiscentibus ipsi remanerent.* III, 15 *postero die legionibus ad muniendum retentis auxiliares cohortes in Cremonensem agrum missae.* III, 70 *iam Hispaniis Germanisque et Britannia desciscentibus.* IV, 3 *motis ad bellum Germanis mox Illyricos.* IV, 22 *assultante per campos equite.* IV, 35 *cohortes Geldubam perrexere manentibus ut fuerant castris.* IV, 61 *cohortium alarum legionum hiberna subversa crematque iis tantum relictis quae Maguntiaci et Vindonissae sita sunt.* IV, 64 *instituta cultumque patrium resumite abruptis voluptatibus quibus Romani plus adversus subiectos quam armis valent.* V, 5 *Liberum patrem coli domitorem orientis quidem arbitrati sunt nequaquam congruentibus institutis.* V, 17 *neque nostro milite paludem ingrediente, at Germanis ut elicerent lacessentibus.* Vell. II, 16 *recipiendo in civitatem qui arma aut non ceperant aut deposuerant maturius vires refectae sunt Pompeio Sullaque et Mario fluentem procumbentemque rem populi Romani restituentibus.* II, 48 *unice cavente Cicerone concordiae rei publicae.* II, 60 *vendente rem publicam consule.* II, 66 *furente deinde Antonio simulque Lepido . . . repugnante Caesare sed frustra adversus duos instauratum Sullani exempli malum proscriptio.* II, 110 *neque tutum visum abdito interiora exercitu vacuam tam vicino hosti relinquere Italiam.*

F. De ablativo absoluto qui ad rationem condicionalem usurpatur designandam.

Quoniam singula per se sola participia in locum enuntiatorum secundariorum, quae hypotheticam indolem habent, substituuntur, offendendum non est, si etiam ablativus absolutus hunc usum adoptavit. illum autem maioris licentiae signum prae se ferre, quam ablativi absoluti structuram notionis condicionalis compotem addita particula, quae rationem hypotheticam aperte indicat, ne existimes (cf. D).[1]) exempla, quae haud opus est accura-

1) Kritz et Berger hanc materiem non satis dilucide tractarunt, quia exempla, ubi condicionis notio et talia, ubi concessionis subest, nullo observato discrimine confundunt.

tiore interpretatione explanare, sunt haec: Tac. ann. I, 55 *nihil ausuram plebem principibus amotis.* II, 19 *equitem propinquis lucis texere, ut ingressis silvarum legionibus a tergo foret.* IV, 41 *sublatis inanibus veram potentiam augeri.* XI, 7 *sublatis studiorum pretiis etiam studia peritura.* XIII, 24 *ut . . . plebes daret experimentum an ammotis custodibus modestiam retineret.* XIII, 40 *statuit dato die proelium incipere.* XIV, 23 *utendum recenti terrore ratus ad occupanda Tigranocerta quibus excisis metum hostium intenderet.* XV, 10 *nec a Corbulone properatum quo gliscentibus periculis etiam subsidii laus augeretur.* hist. II, 32 *tracto in aestatem bello.* II, 34 *augescente flumine.* IV, 74 *nam pulsis quod di prohibeant Romanis quid aliud quam bella omnium inter se gentium exsistent.* II, 1 *concedente in partes patre filium excusatum.* III, 2 *addito spatio rediturum et his robur meditatione belli.* Sall. hist. I, 41, 24 *quia secundae res mire sunt vitiis obtentui quibus labefactis quam formidatus est tam contemnetur.* Iug. 85, 48 *deis iuvantibus.* — In omnibus his exemplis non illam facilitatem inesse et varietatem, quae hist. III, 56, IV, 39 (sub M.) observari licet, ubi participium futuri activi usurpatur, ex natura participiorum liquido patet.

6. De ablativo absoluto cuius subiectum ex enuntiato quod sequitur relativo supplendum est.

Cum accuratissime explicandum sit, qualis Tacitus in usu ablativi absoluti fuerit, utile est illud quoque genus frequentissime adhibitum adumbrare, ubi participium impersonaliter in ablativo absoluto prolatum esse videtur, revera autem subiectum ex enuntiato quod sequitur relativo supplendum est. atque apud Velleium duo, totidemque apud Sallustium exempla nobis occurrerunt. Taciti permulta sunt. Tac. ann. I, 8 *multum irridentibus qui ipsi viderant.* I, 23 *mox disiectis quorum per humeros sustinebatur.* I, 48 *illi tentatis quos idoneos rebantur . . . statuunt.* III, 24 *effectis in quae tetendi.* III, 27 *accitis quae usquam egregia.* III, 66 *quod multos etiam bonos pessumdedit qui spretis quae tarda cum securitate praematura vel cum exitio properant.* III, 74 *relictis per quos resurgeret bellum.* VI, 31 *missis qui gazam a Vonone relictam . . . reposcerent.* VI, 36 *affluentibus paulatim qui sustulerant animum.* I, 5 *laeti interdum nuntii vulgabantur donec provisis quae tempus monebat fama tulit.* I, 64 *obruto quod effectum operis duplicatus militi labor.* VI, 9 *additis quae ante deliquerant.* XVI, 14

repertis quae de ortu vitaque . . . composita erant. XI, 3 *usurpatis quibus insueverat exercitationibus.* XI, 19 *missis qui maiores Chaucos ad deditionem pellicerent.* XI, 25 *exhaustis etiam quas dictator Caesar sublegere.* XI, 27 *adhibitis qui obsignarent.* XI, 33 *assumptis quibus idem metus.* XII, 12 *excitis quorum de sententia petitus rex.* XII, 31 *caesis qui resisterant.* XII, 33 *additis qui pacem nostram metuebant.* XII, 35 *circumspectis quae impenetrabilia.* XIII, 21 *commotis qui aderant.* XIII, 39 *tum circumspectis munimentis et quae expugnationi idonea provisis.* XIII, 55 *captis caesisve qui pervicacius restiterant.* XIV, 16 *contractis quibus aliqua pangendi facultas.* XIV, 31 *commotis ad rebellionem Trinobantibus qui turbabant.* XIV, 40 *adscitis quos.* XIV, 47 *adulantibus circum qui.* XIV, 53 *prodentibus iis quibus aliqua honesti culpa.* XIV, 54 *sed traditis quorum fulgore praestringor.* XV, 8 *corrupto qui captus erat commeatu.* XV, 16 *adstantibus iis . . . . quos miserat.* XV, 27 *apertis quae vetustas obsaepserat.* XV, 34 *egresso qui affuerat populo.* XV, 52 *prompte daturis qui . . . essent.* XVI, 2 *missis per quas nosceret.* XVI, 3 *consumebantur veteres opes quasi oblatis quos multos per annos prodigeret.* hist. I, 44 *certatim ostentantibus cruentas manus qui acciderant.* II, 16 *disgressis qui Pacarium frequentabant.* II, 42 *repertis qui descivisse a Vitellio exercitum ementirentur.* II, 45 *qui ferociores fuerant ad poenitentiam inclinantibus.* II, 85 *proturbatis qui de Othone nuntiabant.* III, 10 *disiectis qui tribunal tuebantur extremus parabatur.* III, 13 *incipientibus qui conscii aderant.* III, 68 *reclamantibus qui in contione adstiterant.* III, 74 *frementibus qui petebant.* IV, 19 *arguentibus ipsis qui suaserant.* IV, 24 *missis per Gallias qui auxilio concirent.* IV, 35 *praemissis qui pontes et viarum angusta insiderent.* IV, 39 *sic egesto quidquid turbidum.* IV, 71 *missis . . . qui . . . verterent contracto quod erat militum Moguntiaci.* V, 12 *missis . . . qui . . . obtruncarent.* V, 18 *absumptis qui iaciuntur.* V, 19 *raptis quae ferri poterant.* ib. *disiectis quae morabantur.* Agric. 19 *circumcisis quae.* 36 *stratis qui.* 39 *emptis quorum.* Vell. II, 5 *aditis quae vix audita erant.* II, 42 *mandatis custodiae quos coeperat.* Sall. Iug. 58, 1 *remissis qui in praesidio erant.* 106, 3 *proditis quos ducebat.*

H. De ablativo absoluto participii praesentis nullo substantivo apposito.

Ut modo demonstratum est, ablativi absoluti exstant, quorum subiectum ex subsequentibus repetendum est; sed etiam tales

sunt, in quibus ex antecedentibus subiectum suppletur. velut Tac. ann. I, 5 *haec et talia agitantibus gravescere valetudo Augusti.* I, 29 *orantibus rursum idem Blaesius et Lucius Apronius ad Tiberium mittuntur.* XIII, 7 *vulgantibus.* XIII, 15 *promittentibus.* hist. IV, 25 *poscentibus.* IV, 27 *minitantibus.* etiam prorsus impersonaliter ablativus usurpatur, quod accidit, si ratio, quae intercedit inter ablativum enuntiatumque antecedens non ea est, ut habeas subiectum, quod suppleas. unus ille locus hist. IV, 1, ubi participium sane non est temporis praesentis huc pertinet: *passim trucidatis, ut quemque fors obtulerat.* — Ceterum caveas, ne hunc usum confundas cum dativo participii praesentis, quem absolute positum esse falso dicunt. sic Draeger et Nipperdey (ad ann. I, 29) habent pro ablativo, quod est dativus (Agric. 18; hist. I, 27; II, 50).

I. De ablativo absoluto cuius subiectum in enuntiato principali nominatur.

Hic usus admodum circumcisus est. Ciceronem certe constat hanc licentiam non admisisse, nisi pronomen, quod subiectum enuntiati secundarii est, inprimis exhibendum erat. Livii locos collegit Weissenborn ad Liv. I, 28, 10. Velleius reicere videtur hanc libertatem. Sallustii unus, Taciti complures loci nobis praesto sunt: ann. XIV, 10 *sed a Caesare perfecto demum scelere magnitudo eius intellecta est.* XV, 30 *rogitante rege causas .... cuncta in maius attollens admiratione prisci moris affecit.* XV, 51 *cunctantibus prolatantibusque spem ac metum Epicharis accendere et arguere coniuratos.* XVI, 14 *ille hausto veneno tarditatem eius prorsus intercisis venis mortem approperavit.* XVI, 17 *quo interfecto dum rem familiarem eius acriter requirit.* Sall. Cat. 48, 7 *quo facilius appellato Crasso per societatem periculi reliquos illius potentia tegeret.* — Quodsi autem hoc idioma contra generales ablativi absol. usus leges pugnat, quaeritur, cur tamen scriptores id non repudiarint. causa ea esse videtur, quod scriptor singula actionis tanquam membra disponere itaque accuratius depingere studuit. praeterea id nonnunquam effecit, ut duras structuras facile vitaret.

K. De ablativo absoluto participii futuri pass.

Iure mireris de explicationibus, quibus editores locos Taciti quosdam obscurissimos ann. III, 19, XIV, 4 illustrasse sibi

videntur. neve dubites negare quidquam quod cum Nipperdeyi versione *durch die rache für den tod des Germanicus war dies das ende* congruat, a Tacito scribi potuisse. nam quamvis quaesita et contorta structura aliqua sit, rationi saltem repugnare minime debet, id quod Tacitus non observasset, si vera esset viri docti illius interpretatio. verba sunt: *is finis fuit in ulciscenda Germanici morte.* quo enim iure Nipperdey et Draeger ablativum ulciscenda morte pro ablativo instrumenti habent, tanquam si ageretur de alius cuiusdam rei fine, qui ulciscenda Germanici morte accidit, neque finis ipse esset ultio i. e. certa quaedam pars eius? hac ratiocinatione necessario ad eam sententiam adducimur, qua statuatur ablativum ulciscenda morte absolute positum esse temporali significatione praeditum. atque participio fut. pass. in tali structura inesse notionem petendi, assequi studendi vix est quod moneatur. itaque vertendum est: *zu diesem ende führte es, als der tod des Germanicus gerächt werden sollte* vel: *als man den tod des Germanicus rächen wollte.*

Venimus ad alterum locum ann. XIV, 4 *Nero . . . prosequitur abeuntem artius oculis et pectori haerens sive explenda simulatione seu perituraе matris supremus aspectus quamvis ferum animum retinebat, sei es, weil man bestrebt war, das mass der heuchelei voll zu machen* (logicum quod dicitur subiectum Nero est) *sei es, weil das wenn schon gefühllose gemüth der letzte anblick der dem untergang bestimmten mutter rührte.* — Hic locus a grammaticis nihilo melius perspectus est. sic inprimis Naegelsbachii mentionem facere opus est, qui confidentius participium fut. pass. apud Latinos in absoluta positione prolatum esse negat. nos certe contendimus prorsus contrarium eius, quod voluerit demonstrare, virum illum Latinae linguae peritissimum probasse.[1]) rectissime enim explicat, quid discriminis intersit inter ablativum instrumentalem et ablativum modalem, cuius (abl. mod.) speciei sit Livii illud III, 65, 4 *insectandis patribus tribunatum gessit* i. e. tribunatum gessit non eo, quod patres insectabatur, sed ita vel hunc in modum, ut patres insectaretur. haec interpretatio omni dubitatione caret. sed cum deinceps dicat *auch die taciteischen fügungen z. B.* ann. XIV, 4 *Nero matrem prosequitur abeuntem sive explenda simulatione sive — finden in diesem gebrauch ihre*

1) Lat. stil. p. 100.

erklärung iudicio non ita recto nititur, quippe qui modalem et causalem notionem inter se confundat. si quis enim omnino ulli verbo istius enuntiati modalem sensum tribuere vellet, sine dubio esset participium haerens, quod designat, qualem Nero se gesserit, cum matrem prosecutus sit. quodsi Tacitus — sicut permultis aliis locis fecit — pro participio usus esset gerundio haerendo, huic modalem sensum optimo iure tribuas. sed quae sequuntur verba sive explenda .... retinebat causam proferunt, cur Nero talem se praestiterit. qua in re diiudicanda non parvi momenti usus correlatorum sive — seu est, quae per parataxin duo enuntiati membra (sive explenda — seu retinebat) inter se annectunt. quae cum ita sint, ablativum explenda simulatione absolutae positionis esse satis demonstrasse nobis videmur. ceterum Tacitus huius usus, quem propter insolentiam in annalibus demum inveniri ex scriptoris sermone paulatim exculto intellegitur, solus patronus non est. sed iam apud Ciceronem et Livium et Vergilium prima inveniuntur initia, quamquam viri docti cum dubitent, utrum exemplum aliquod huius usus sit necne propter incertos aptosque ad fallendum transitus nonnunquam erraverunt. sic Zumpt[1]) locorum Livianorum V, 43; XXI, 2; XXXIII, 3 syntacticam rationem prorsus non intellexit. nec magis Witt[2]) verum vidit, cum Liv. VII, 25, 7; XXXIII, 3; Plaut. Menaech. 5, 3, 6 illis Tacitinis locis haud dissimiles esse contendat.

L. De ablativo absoluto participii perfecti passivi omisso substantivo.

Omnia quae adhuc protulimus exempla ablativi absoluti ita comparata erant, ut aut substantivo participium praedicative adiceretur aut subiectum huius praedicati ex insequenti enuntiatione relativa suppleretur. ab his autem exemplis facili transgressu ad ea pervenimus, ubi ipsum quoque subiectum deest nec tamen sine negotio aliunde suppleri potest. sed omnium grammaticorum libris quos huius rei mentionem facturos sperare licuit pervolutis nihil certi de hoc usu qualis sit apud Sallustium, Velleium, Tacitum disputatum esse invenimus, eo magis gaude-

1) G. L. § 643.

2) Ueber den Genetiv des Gerundiums und Gerundivums in der Latein. Sprache. Th. I. p. 9.

mus, quod toti quaestioni abunde satisfacere possumus. atque ante omnia ex re esse videtur, eas proferre formas, quibus Ciceronem usum esse constat: sortito, auspicato[1]), demonstrato, intestato, optato, peroptato, satisdato, errato, rectefacto, perfecto et concluso, adiuncto. Livii[2]) hae sunt: audito, augurato, auspicato, cognito, comperto, debellato, edicto, explorato, exposito, palamfacto, imperato, inaugurato, inexplorato, lato, litato, nuntiato, pacto, permisso, submoto, impetrato. Sallustius hunc usum prorsus respuit itemque Velleius excepto uno loco II, 107 *impetrato*[3]) *ut manum contingeret reversus in naviculam .... appulsus est.* iam in eo est, ut ad Tacitum ipsum progrediamur, apud quem locis quattuor et quadraginta ablativus absolutus participii perf. omisso substantivo ponitur, quorum decem (non sex ut Draeger dicit) in historias cadunt. minoribus quae dicuntur ab operibus hic usus alienus est. etiam hac igitur re demonstratur quod saepius monuimus Taciti usum loquendi gradatim eam formam assecutum esse, quam libri annalium praebent. exempla sunt: ann. I, 35 *miles strictum obtulit gladium addito acutiorem esse.* I, 46 *at Romae nondum cognito qui fuisset exitus in Illyrico.* I, 49 *quidam bonorum caesi postquam intellecto in quos saeviretur pessimi quoque arma rapuerant.* I, 50 *consultato.*[4]) I, 66 *Caecina comperto vanam esse formidinem clausit viam.* I, 75 *Propertio Celeri praetorio ....*

---

1) Sortito et auspicato ablativi velut tam multi Graecae linguae accusativi absoluti adverbiorum vim habent, cf. Zumpt Gr. L. § 266.

2) Cf. Kühnast, Die Hauptpunkte der Liv. Synt. II. p. 269.

3) Impetratoque habet P, imperatoque M A. quoniam autem lectio impetratoque haud dubie vera est et editio princeps qua continetur ex R, primo apographo, fluxit, facit etiam hic locus ad confirmandam eam sententiam, quam Halm de apographo primo protulit in Mus. Rhen. XXX, p. 534 squ.

4) In libris manuscriptis legimus: *Inde saltus obscuros permeat consultatque ex duobus itineribus breve et solitum sequatur an impeditius et intemptatum eoque hostibus incautum delecta longiore via cetera accelerantur.* Offendendum certe est in paratactica verborum permeat consultatque coniunctione. an putas uno eodemque tempore debere verba uti, quorum alterum designat rem principalem, alterum ea tantum, quae necesse est iamdiu facta sint, si illa accidere debeat. multi hoc bene intellexerunt admitti non posse, sed mederi loco nemo potuit. Ritschl demum quo erat acutissimo ingenio inserendo vocalem *o*, quae propter similem litterae *qu* scripturam evanuisse videtur (consultatque — consultatoque) omnem egregie delevit offensionem, cf. Ritschelii opuscula philol. III. p. 826.

decies sestertium largitus est satis cvmperto paternas ei angustias esse. II, 7 *ipse audito castellum Lupiae flumini appositum obsideri sex legiones eo duxit.* II, 9 *quaesito an Caesar venisset . . . oravit.* II, 28 *vocantur patres addito consultandum super re magna et atroci.* II, 60 *Germanicus nondum comperto profectionem eam incusari.* II, 64 *simul nuntiato regem Artaxiam Armeniis a Germanico datum.* III, 2 *miserat duas praetorias cohortes Caesar addito ut magistratus . . . . munera fungerentur.* III, 14 *iudices implacabiles erant . . . senatus nunquam satis credito sine fraude Germanicum interisse.* III, 33 *Severus Caecina censuit multum ante repetito.* IV, 36 *comperto ficta in eum crimina per Vibium Serenum.* IV, 63 *neque dum comperto quos illa vis perculisset.* IV, 70 *adiecto trepidam sibi vitam.* V, 2 *addito ne. caelestis religio decernerentur.* VI, 15 *diu quaesito quos neptibus suis maritos destinaret Caesar.* VI, 34 *credito vexisse Phrixum.* XI, 10 *multum certato pervicit Vardanes.* XI, 13 *comperto.* XI, 26 *nec ultro exspectato quam dum . . . celebrat.* XI, 38 *non distincto.* XII, 7 *nec Claudius ultra exspectato obvius praebet se gratantibus.* XII, 17 *diu pensitato.* XIII, 1 *nec minus properato.* XIII, 37 *satis comperto.* XIV, 7 *ipse audito venisse missa Agrippinae nuntium.* XIV, 34 *satis cognito.* XIV, 57 *comperto.* XV, 14 *multum in vicem disceptato.* XVI, 16 *semel edito transire licet.* XVI, 33 *praedicto ne in republica haberetur.* hist. I, 84 *auspicato.* II, 49 *explorato.* III, 72 *sedem Iovis Optimi Maximi auspicato a maioribus conditam.* IV, 36 *comperto.* IV, 16 *necdiu certato.* IV, 17 *addito.* III, 20 *explorato.*[1]) — Maiorem partem horum ablativorum prorsus novam esse ex sola comparatione cum iis formis quas supra protulimus liquet. hae sunt: praetexto,[2]) certato, addito, intellecto, quaesito, credito, repetito, adiecto, exspectato, distincto, pensitato, dicto. — Accuratiore cognitione ii loci digni sunt, ubi ablativum absolutum non sequitur enuntiatum quod pro subiecto abl. abs. potest haberi. velut ann. XI, 10 *multum certato pervicit Vardanes.*

1) Etiam solum adiectivum in hunc modum usurpatur. Tac. ann. I, 6 *iuxta periculoso.* III, 61 *libero.*

2) Praetexto formam pro ablativo participii haberi non posse apparet ex hist. I, 76 *praetexto senatus;* 77 *praetexto veteris amicitiae;* III, 80 *praetexto reipublicae.* itaque Hoffmannum (Jahrb. f. Phil. CIX, 550) opinio fefellit, cf. etiam Zernial l. c.

M. De ablativo absoluto participii futuri activi.

Participii futuri activi absolute positi grammatici vix pauca exempla afferre solent, quin etiam eundem locum alius ex alio exscribunt; attamen complura eius generis eaque luculentissima exempla apud Tacitum in promptu sunt. Draeger hanc rem plane omisit, quamquam pro eo, quod libello de stilo et synt. Tac. proposuit, respicere debuit. ac classici scriptores hunc usum perinde ac Sallustius et Velleius constantissime respuerunt, neque minus Livium eo abstinuisse ex silentio Kuehnastii concludas, tamen unum exemplum Zumpt[1]) affert 36, 41 *Antiochus securus admodum de bello Romano erat tanquam non transituris in Asiam Romanis.* in Taciti scriptis haec praesto sunt: ann. II, 80 *consisterent in acie non pugnaturis militibus ubi Pisonem ab ipsis parentem quondam appellatum . . . vidissent.* hist. II, 32 *irrupturis tam infestis nationibus.* II, 86 *flagrabat ingens bellum Illyricis exercitibus palam desciscentibus, ceteris fortunam secuturis.* III, 56 *peritissimis centuriorum dissentientibus et si consulerentur vera dicturis.* IV, 39 *haud defutura consciorum manu.* — Inprimis exhibendus esse videtur hist. III, 56. hoc enim exemplum rarum per se ipsum rariores quam cetera proprietates prae se fert. non modo de participio obiectum dependet, sed etiam toti ablativi absoluti structurae condicionis notio subest atque eius generis, quod supra in participii fut. act. usu tractando sub IV accuratius explicavimus. neque minus notandus est locus hist. IV, 39, spectans ad eam speciem, quae sub V illustrata est. in minoribus Taciti scriptis non suppetunt exempla.

N. De ablativo absoluto participii perfecti verborum deponentium.

Etiamsi concedendum est Romanos, ubicunque res postulet, ut absolutum participium perfecti temporis ponatur, passivo genere uti solere, tamen permulti valde errant viri docti, cum ablativos absolutos verborum deponentium perfecti temporis apud Romanos omnino inveniri negent, quam opinionem H. Rumpf[2]) iure impugnavit multisque exemplis refellit. quare quatenus hoc ad Sallustium, Velleium, Tacitum pertineat, docebimus atque apud

1) L. Gr. § 643.

2) Tres commentationes . . . scripsit H. Rumpf. Francof. ad Moenum 1868.

Tacitum quidem illum usum multo magis omni carere offensione, quam apud aureae aetatis scriptores (quibus in hanc partem illustrandis Rumpf singularem operam navavit) cum e numero exemplorum, tum ex eo huius usus genere apparet, ubi participio absoluto obiectum adicitur, quod priores nunquam admiserunt.[1]) sunt autem exempla quae huc referri possunt haec: Tac. ann. I, 29 *orto die.* III, 67 *defensionem sui deseruit ausis ad Caesarem codicillis.* IV, 57 *diu meditato prolatoque saepius consilio tandem Caesar in Campaniam secessit.* VI, 31 *defuncto rege.* IV, 73 *exercitum Rheno devectum Frisiis intulit soluto iam castelli obsidio et ad sua tutanda degressis rebellibus.* XI, 13 *comperto.* XIII, 37 *satis comperto.* XIV, 57 *comperto.* XIII, 12 *ceterum infracta paullatim potentia matris delapso Nerone in amorem libertae.* XIII, 43 *filium eius Nerullinum agressis accusatoribus per invidiam patris et crimina reputandarum intercessit princeps.* XIV, 27 *veterani Tarentum et Antium adscripti non tamen infrequentiae locorum subvenere dilapsis pluribus in provinciam.* XV, 11 *uno tantum centurione Tarquitio Crescente turrim in qua praesidium agitabat defendere auso.* XV, 23 *quae fluxa fuere quae tum intra mensem defuncta infante.* XV, 34 *egresso qui affuerat populo.* I, 66 *comperto.* I, 75 *comperto.* IV, 36 *comperto.* IV, 63 *comperto.* II, 74 *ceteris modice nisis inter Vibium Marsum et Cn. Lentium diu quaesitum.* I, 31 *orto ab uno et vicesimanis quintanisque initio.* III, 39 *dissensione orta.* I, 16 *dilapsis melioribus deterrimum quemque congregare.* I, 3 *mox defuncto Marcello generum sumpsit.* I, 7 *defuncto Augusto.* II, 66 *defuncto Pandusa.* I, 7 *tanquam adepto principatu.* II, 60 *comperto.* XI, 32 *vastati agri praedae passim actae non ausis aciem hostibus vel . . . . punito dolo.* VI, 17 *copiam vendendi secuta vilitate.* XI, 25 *orationem principis secuto patrum consulto.* XII, 32 *non ausis aciem hostibus.* hist. I, 68 *dilapsis vetustate moenibus.* II, 11 *transgresso iam Alpes Caecina.* II, 45 *non ausis ducibus eadem die oppugnationem castrorum.* I, 76 *initio Carthagine orto.* I, 84 *auspicato.* IV, 36 *comperto.* II, 56 *obnoxiis ducibus et prohibere non ausis.* II, 100 *profecto Caecina scripsit Fabius Valens exercitui.* III, 42 *digresso Valente.* III, 57 *ut collata utrimque castra haud magna cunctatione Iuliano in partes Vespasiani transgresso.* III, 71 *vixdum regresso in Capitolium Martiale furens miles aderat.* IV, 36 *nec ullo legatorum tribunorumve obsistere auso.* III, 72 *auspi-*

1) Cf. Rumpf. p. 39.

cato. II, 39 *profecto Brixellum Othone.* II, 16 *disgressis qui Pacarium frequentabant.* I, 34 *vixdum egresso Pisone.* II, 22 *orto die.* II, 23 *comperto hostium itinere.* III, 79 *ceteri foeda fuga consternantur non ultra Fidenas secutis victoribus.* III, 84 *in Palatium regreditur vastum desertumque dilapsis etiam infimis servitiorum aut occursum eius declinantibus.* V, 3 *orta per Aegyptum tabe .... regem Bocchiorum .... purgare regnum et id genus hominum .... avehere iussum.*

Haec nobis exempla apud Tacitum praesto sunt, qui omnino is scriptor esse videtur, qui illum usum singulari studio amplexus est.

Apud Sallustium duo inveniuntur loci. Cat. 7, 3 *sed civitas memoratu incredibile est adepta libertate quantum brevi creverit.* Iug. 103, 7 *dein Sulla omnia pollicito docti quomodo apud Marium item apud senatum verba facerent circiter dies quadraginta ibidem opperiuntur.* apud Velleium unus. II, 29 *auspicatis ominibus uxorem ducere.*

Neque apud Caesarem Ciceronem alios illum usum tantae amplitudinis esse quantae sit apud Tacitum ex Rumpfii dissertatione et ex nostra exemplorum collectione apparet.[1])

Iam si exempla Tacitina accuratius perlustraveris nescio an mirum videatur, quod ad unum omnia ex maioribus Taciti scriptis sumpta sunt, cuius rei ea manifesta causa est, quod cum usus loquendi, qualis in minoribus qu. d. scriptis apparet, non perfectus et excultus est, tum structura abl. abs. per se magis aliena est ab iis scriptis, ubi non tam narrandi, quam describendi ratio valet. — His quae protulimus utinam paululum contulerimus ad quaestionem persolvendam, quibus finibus usus ablativi absoluti perfecti temporis verb. depon. secundum linguae Latinae naturam contineatur.

0. De ablativo absoluto participii fut. activi verborum deponentium.

Nemodum ni fallor quaesivit, num verborum deponentium participia futuri activi in absoluta positione omnino inveniantur. ac fortasse ex eo ipso, quod nemo hanc rem animadvertit, cognoveris perangustis finibus illum usum circumscribi. unum tantummodo exemplum iam supra allatum nobis notum est. Tacit. hist. II, 86 *scriptae in Britanniam ad quartadecuma-*

1) Quam incerta sint quae Draeger de hac materia § 212 disserat non nemo intelleget.

nos in Hispaniam ad primanos epistolae, quod utraque legio pro Othone adversa Vitellio fuerat, sparguntur per Gallias literae momentoque temporis flagrabat ingens bellum Illyricis exercitibus palam desciscentibus ceteris fortunam secuturis.

Caput V.

De participiorum natura verbali.

§ 20.

De participiis quibus adverbia adduntur.

Participiorum natura verbalis ex indiciis variis iisque certissimis cognoscitur. primum ex additione adverbiorum, particularum, coniunctionum, deinde ex rectione casuum, infinitivorum, enuntiatorum. atque tam arta communio inter particulam et participium quod pro enuntiato secundario usurpatur saepissime est, ut omissa particula non satis appareat, quo sensu participium usurpatum sit aut cui enuntiatorum secundariorum generi respondeat. omnia autem illa quae ad participia accedere posse diximus quoniam certis quibusdam particulis exceptis cum substantivis coniungi non possunt, participiorum cum verbis artissima coniunctio clarius elucet. sed singula genera hic quoque quam accuratissime distinguenda sunt, quia scriptores illi, quorum dicendi consuetudinem nobis indagare proposuimus, etiam hac in parte nec fines ab aliis constitutos servaverint nec pauca sibi sumpserint audacius. ac quae laus posterioribus scriptoribus tribuenda est in hoc idiomate perpoliendo, ea maxime cernitur in numero vocabulorum huic usui inservientium amplificato. ex grammaticorum enim libris apparet praeter ut, quasi, statim, nisi Ciceronem et Caesarem nulla adhibuisse, Livium voc. tanquam, velut, utpote, non antequam, extemplo, vixdum addidisse. rationem autem, quae intercedit inter hunc usum priorum et Sallustii, Vellei, Taciti, ne attigerunt quidem grammatici, ut Draegeri[1]) ea prorsus falsa opinio est, qua usum nostrum apud Sallustium inveniri negat. neque de Vellei ulla, quae observationibus certis nitantur, praecepta exstant. ac de Tacito qui-

1) Synt. und Stil des Tac. § 215.

dem Draegeri, qui hunc usum diligenter observare debebat, vix est, quod mentionem faciamus. attamen has, quas priores repudiarunt coniunctiones ille scriptor admisit: iam iamque, quamvis, etiam, tamen, necdum, etsi, ne — quidem, iam, quippe, demum, etiamtum. Sallustius, a cuius scriptis hunc usum prorsus alienum esse dicunt, saepius haec vocabula adhibuit: sicuti, veluti, quasi, tanquam. apud Velleium denique usu venerunt: veluti, velut, ut, etiam.

Atque exempla, quae primo loco commemorabuntur, ideo minoris momenti sunt, quia adverbia, quibuscum participia coniuncta sunt, non ad participia sola usurpari possunt accuratius definienda, verum etiam ad substantiva haud raro accedunt. huc autem pertinent non modo adverbia, quae gradationem quandam exprimunt, sed etiam adverbia, quibus indicatur, quo pacto aliquid fiat.[1]) multo vero magis ea adverbia vim illam quae participiis haud dubie inest verbalem prae se ferunt, quae, id quod ex ipso nomine apparet, non nisi cum verbis possunt coniungi. tertio denique loco enumerabuntur loci, ubi coniunctiones iunguntur cum participiis, cuius generis audaciora ea exempla sunt, in quibus patet participium in locum enuntiati secundarii esse substitutum.

Exempla autem collegimus haec:

A.

I. Ex Tacito:

Ann. XI, 25 *nimium assentantem.* XII, 14 *nondum satis aucto exercitu.* XII, 65 *parum coercitis .... agminibus.* XIII, 43 *tanquam satis expleta ultione.* XIII, 50 *multum prius laudata magnitudine animi.* XV, 8 *satis firmatis hibernaculis.* XV, 11 *nihil mutato consilio.* hist. II, 86 *consularibus legatis nihil turbantibus.*

II. Ex Sallustio:

Cat. 59, 1 *paululum commoratus.*

Apud Velleium huius generis exempla non inveninus.

B.

I. Ex Tacito:

Ann. III, 69 *ne verterent sapienter reperta et semper placita.* III, 72 *saepius depulsus.* IV, 6 *semel assumpti.* IV, 9 *ad vana*

1) Hac de re cf. Clemm, Curt. Stud. VIII, 57.

et totiens irrisa revolutus. IV, 69 *recens cognita.* V, 3 *etsi infense invectus.* XIII, 26 *adversus male meritos.* XIII, 30 *provinciam avare habitam.* XIV, 13 *male coercitas.* XIV, 16 *verba quoquo modo prolata.* XIV, 38 *clementer deditis.* XVI, 9 *sapienter tolerans.* XVI, 16 *segniter pereuntes.* hist. I, 7 *haud dubie turbantem.* I, 15 *deterius interpretantibus.* I, 17 *male coercitam famam.* I, 25 *dilati totiens donativi.* I, 27 *festinanter impositum.* I, 34 *diutius cunctatus.* I, 53 *aegre passus.* I, 73 *haud obscure molita.* II, 15 *socordius agentem.* ib. *improvide secutos.* II, 22 *temere abeuntes.* II, 23 *prave aestimantibus.* II, 51 *furtim digressus.* II, 55 *epistolae scriptae haud immoderate.* III, 6 *male parta.* III, 11 *vacantium forte balnearum.* III, 14 *forte oblatos.* III, 18 *forte recti.*[1]) III, 20 *tam bene meritis.* III, 9 *retro actae.* III, 39 *palam iussa.* III, 42 *comiter exceptum.* III, 54 *vere narraturi.* III, 60 *late prospectans.* III, 65 *procul visentibus.* III, 77 *gestae prospere rei.* III, 82 *parta totiens victoria.* IV, 17 *vere reputantibus.* IV, 18 *haud longe agentes.* IV, 39 *sublime rapti.* IV, 32 *scriptae hostiliter.* IV, 50 *raptim vecti.* IV, 74 *totiens lacessiti.* ib. *procul agentibus.* IV, 79 *victoriae nuper partae.* IV, 86 *vana pueriliter cupiens.* V, 23 *hostiliter populatus.* Agric. 11 *olim victis.* Germ. 8 *monstrata comminus captivitate.* dial. 1 *cogitata subtiliter et dicta graviter.* 25 *nascenti adhuc.* 34 *male nec bene dicta.* ann. VI, 2 *quasi recens cognitis Liviae flagitiis ac non pridem etiam punitis.* XII, 45 *frustra vel cum damno temptatis munitionibus.* XIII, 41 *portis sponte patefactis.* XIII, 43 *tanquam satis expleta ultione.* XIV, 17 *rursus re ad patres relata.* XV, 6 *raptim erectis tuguriis.* hist. I, 13 *comiter administrata provincia.* I, 44 *certatim ostentantibus.* I, 55 *quibusdam nolabilius turbantibus.* I, 62 *nomine statim addito.* II, 15 *sidente paulatim metu.* II, 22 *vixdum orto die.* II, 29 *deflagrante paulatim seditione.* II, 88 *abscisis furtim balteis.* ib. *praecurrentibus passim militibus.* III, 6 *nondum defectione audita.* III, 35 *manente adhuc civili bello.* III, 58 *libertinis ultro flagrantibus.* III, 63 *abrupta undique spe.* IV, 34 *tritis frustra diebus.* IV, 37 *raptis temere armis.* IV, 85 *confecto prope bello.* V, 18 *repente fusis imbribus.* Agric. 26 *mutato repente consilio.* 35 *alloquente adhuc Agri-*

---

1) Ita scribit Heraeus pro forte victi, quod etiam nos probamus. Cf. eiusdem viri docti studia crit. in Mediceos Taciti codices Marbg. 1846 p. 127, ubi exposuit literas *r* et *v* propter quandam similitudinem in mediceis codic. nonnusquam esse confusas.

cola. Germ. 33 *pulsis Bructeris ac penitus excisis.* dial. 5 *rebus prospere fluentibus.*

II. Ex Velleio:

II, 7 *optimis ingeniis male usi vitae mortisque habuere exitum.* II, 88 *male consultorum poenas exsolvit.* II, 105 *liber aliter lauteque eo abutentem.* II, 109 *ex male dissimuluto.*[1]) II, 70 *tardius eo nuntiante.* II, 103 *vehementer repugnante Nerone.*

III. Ex Sallustio:

Cat. 5, 9 *paulatim immutata.* Iug. 64, 4 *saepius eadem postulanti.* 71, 4 *temere positam.* 101, 4 *eminus emissis.* 71, 4 *propere cognitis insidiis.* Cat. 45, 3 *cito cognito consilio.* hist. I, 41, 27 *bene iuvantibus diis.*

C.

I. Ex Tacito:

Ann. I, 37 *pecunia et missio quamquam non flagitantibus oblata est.* I, 43 *neque enim di sinant, ut Belgarum quamquam offerentium decus istud et claritudo sit.* I, 47 *iam iamque iturus legit comites.* I, 55 *Segestes quamquam consensu gentis in bellum tractus discors manebat.* I, 76 *edendis gladiatoribus .... Drusus praesedit quamquam vili sanguine nimis gaudens.* II, 3 *ne Tigrani diuturnum imperium fuit neque liberis eius quamquam societas more externo in matrimonium regnumque.* II, 25 *qui ... velut aucti numero irrupissent.* II, 38 *haec atque talia quamquam cum assensu audita ab iis quibus omnia .... laudare mos est excepere.* II, 67 *quamvis ambiguum et scelera sua reputantem perpulit.* II, 75 *Agrippina quamquam defessa luctu et corpore aegro .... ascendit classem.* II, 82 *quamvis leviter audita.* ib. *quasi rursum ereptum.* II, 86 *Caesar quamvis posthabitam .... solatus est.* III, 59 *recitatae et Drusi epistolae quamquam ad modestiam flexae pro super-*

1) II, 109 legimus: *gentibus hominibusque a nobis desciscentibus erat apud eum perfugium totumque ex male dissimulato agebat aemulum.*

Agitur de lectione totumque, quae ferri nequit. iam Acidalius bene medetur loco, cum praepositionem in suppleat, quam propter antecedentem literam m facile evanescere potuisse satis clarum est. neque obstat, quominus haec coniectura probetur, quod Velleio pro lectione in totum perpetuo magis placuit per omnia. non intellegitur, cur scriptor parvam varietatem non admiserit. Heinsii coniectura totusque propter palaeographicas rationes reicienda est.

bissimis accipiuntur. III, 68 *seperanda Silani materna bona quippe Manlia parente geniti.* IV, 33 *etiam gloria ac virtus infensos habet ut nimis propinquo diversa arguens.* IV, 39 *moris quippe tum erat quamquam praesentem scripto adire.* IV, 52 *quamquam instantem reliquit.* VI, 36 *tanquam Mesopotamiam invasurus.* VI, 39 *quasi respiciens.* VI, 50 *is velut propria ad negotia digrediens et per speciem officii manum complexus pulsum venarum attigit.* XI, 28 *etiam confitenti.* XI, 31 *ut sacrificantes.* XI, 36 *tanquam passus muliebria.* XII, 18 *recens coniuncta.* XII, 29 *quamquam saepe oratus.* XII, 40 *quamquam gestatum.* XII, 47 *quasi sacratum.* XII, 49 *tanquam reciperaturus.* XIII, 1 *vixdum pueritiam egresso Nerone.* XIII, 20 *tanquam Agrippinae gratia provectum et vicem reddentem.* XIII, 35 *nisi effossa humus.* XIV, 6 *quamvis exterritus.* XIV, 7 *quasi deprehenso vincla inici iussit.* XIV, 10 *lucem . . . . tanquam exitium allaturam.* XIV, 31 *domus . . . . velut capta.* XIV, 33 *tanquam redituri.* XIV, 62 *quasi exprobrantes.* XIV, 65 *quasi adversatum.* XV, 1 *quippe egressus Armenia.* XV, 35 *quamvis sontem et defensioni merito diffisum.* XV, 71 *quamvis absolutus.* XV, 72 *quamvis gesta bello expositurus.* XVI, 15 *venae quamquam interruptae.* XVI, 19 *quamquam coacta.* XVI, 22 *quamvis quindecimvirali sacerdotio praeditum.* hist. I, 7 *tanquam festinantes.* I, 43 *quamquam vulnerato.* I, 63 *quamquam exceptos.* I, 64 *quamquam meritus.* I, 74 *quasi rixantes.* I, 76 *quamquam obstricto.* I, 79 *velut vincti.* II, 15 *quamquam victi.* II, 20 *tanquam laesi gravabantur.* II, 42 *quamquam dispersi.* III, 9 *tanquam insultantes.* III, 11 *quippe referentes.* ib. *quamquam omni modo nisi..* III, 25 *quasi . . . . aucti.* III, 59 *tanquam insidiantes.* III, 68 *ut . . . . posituras . . . . petituras.* III, 78 *tanquam dolo cunctantem.* IV, 29 *simul epulantes.* IV, 19 *tanquam secuturus.* IV, 43 *velut excedens curia.* Agric. 15 *tanquam nescientibus.* 22 *quamquam conflictatum.* dial. 2 *tanquam prohibiturus.* ann. I, 48 *quamquam contracto exercitu.* I, 68 *milite quasi ob metum defixo.* I, 72 *quamquam censente senatu.* II, 59 *quamvis flagrante bello.* III, 20 *quamquam transfosso oculo.* III, 72 *manente tamen nomine.* IV, 25 *non nisi duce interfecto.* V, 9 *vanescente quamquam plebis ira.* VI, 28 *confecto quippe annorum numero.* IV, 8 *etiam defuncto necdum sepulto curiam ingressus est.* XI, 12 *velut translata fortuna.* XII, 4 *quamquam lecto pridem senatu.* XII, 23 *quamquam magnis nationibus subactis.* XII, 32 *nisi prioribus firmatis.* XIII, 21 *nunquam edito partu.* XIII, 23 *quippe nominatis libertis.* XIII, 41 *quasi infensantibus*

deis. XIV, 10 *perfecto demum scelere.* XIV, 22 *quasi iam depulso Nerone.* XIV, 30 *quasi iam haerentibus membris.* XIV, 33 *tanquam . . . . praerepta interim ultione.* XIV, 39 *flagrante etiam tum libertate.* XIV, 39 *tanquam durante bello.* XV, 8 *quasi confecto bello.* XV, 38 *quamvis patente effugio.* XIV, 13 *labante iam Agrippina.* XV, 69 *nec nisi provecta nocte.* XVI, 3 *quasi oblatis, quas.* hist. I, 3 *quamvis capite oblato.* I, 34 *vixdum egresso Pisone.* I, 53 *nec nisi occiso Nerone.* I, 60 *quamquam remoto consulari.* I, 72 *quippe tot interfectis.* I, 82 *velut capta urbe.* II, 20 *velut relicta saevitia.* II, 86 *quamquam consularibus legatis nihil turbantibus.* III, 50 *profligato iam bello.* III, 65 *quamquam manente concordia.* III, 66 *nisi exstincto aemulatore.* IV, 3 *velut expiato terrarum orbe.* ib. *tanquam manente bello.* IV, 44 *quamvis concesso aliis redditu.* IV, 71 *velut confecto bello.* V, 19 *velut abacto amne.* IV, 70 *velut parto imperio.* Agric. 18 *velut omissa expeditione.* 40 *ne appellato quidem eo.* Germ. 7 *velut deo imperante.* 28 *quamvis mutatis cultoribus.* 31 *nec nisi caeso hoste.*

II. Ex Velleio:

I, 17 *Velut occupatam relinquens materiem quaerit novam.* II, 47 *veluti reconciliatis sibi optimatibus.* II, 64 *ut satiato Antonio.* II, 85 *etiam detracto capite.* II, 117 *velut in hoc saltem tandummodo indulgente nobis fortuna.*

III. Ex Sallustio:

Cat. II, 8 *Sicuti peregrinantes.* 3, 2 *veluti ficta.* Iug. 38, 2 *veluti cedentem.* 100, 3 *quasi nullo imposito.*

Rarius particulae et adverbia etiam gerundio et gerundivo iunguntur, quo usu cuivis apparet quantum efficiatur, ut ad rationes quam plurimas designandas gerundium et gerundivum adhiberi possint. ac Sallustius et Velleius perinde atque classici scriptores abstinent particulis, admittunt autem adverbia. aliter res se habet apud Tacitum, qui particulis tanquam, velut, quasi, nonnisi in talibus structuris libenter utitur. in minoribus autem Taciti scriptis exempla non exstant.

a) Gerundio et gerundivo particulae adduntur:

Tac. ann. XI, 1 *tanquam opprimendo bello Crispinum . . . misit.* XI, 27 *velut suscipiendorum librorum causa. quasi convincendum ad scelus.* XVI, 10 *tanquam vivendo.* hist. I, 58 *non nisi fallendo licebat.*

b) cum gerundio et gerundivo adverbia iunguntur.

Tac. ann. XII, 3 *crebro ventitando.* XIII, 4 *exempla capessendi egregie imperii.* XV, 1 *modice quaerendo.* hist. I, 22 *cupidine libentius obscura credendi.* I, 32 *eundi ultro eamdem mox facultatem.* I, 69 *meliora constantius postulando.* III, 76 *pecuniis acerbe per municipia conquirendis.* IV, 5 *in mentionem incidimus viri saepius memorandi.* Vell. III, 3 *latissime evagandi sibi viam faciunt.* II, 58 *fidem descendendi tuto interfectoribus Caesaris dedit.* II, 97 *sub legato M. Lollio homine in omnia pecuniae quam recte faciendi cupidiore.* II, 120 *mature ad inferiora hiberna descendendo vacillantium etiam cis Rhenum sitarum gentium animos confirmavit.* II, 126 *recte faciendi omnibus aut incussa voluntas aut imposita necessitas.* II, 131 *cervices tam fortiter sustinendo terrarum orbis imperio sufficiant.* Sall. Iug. 7, 4 *modestissume parem et saepe obviam eundo periculis in tantam claritudinem brevi pervenerat.* 25, 10 *ne amplius morando Scaurum . . . . incenderet.* 32, 1 *haec atque talia huiusce modi saepe dicundo Memmius populo persuadet.* hist. II, 41, 4 *neque ego callidam facundiam neque ingenium ad male faciundum exercui.* IV, 61, 4 *mihi fortuna multis rebus ereptis usum dedit bene suadendi.*

§ 21.

De participiis a quibus et singulae voces et totae structurae aptae sunt.

A. De participiis quibuscum casus obliqui, accusativi cum infinitivo structura vel solus infinitivus coniunguntur.

Permultis in structuris quae ab usu superiorum scriptorum recedunt unusquisque concedet miram quandam suavitatem et elegantiam inesse et quamvis ad brevitatem orationis multum conferant, tamen nonnunquam florentem quandam pulchritudinem eas prae se ferre. hoc ad structuras quas infra oculis subiciemus non pertinet, quippe quas pateat ex solo presse dicendi studio ortas esse nec facilitati elocutionis quidquam inservire. ac profecto quanta elegantia esse potest, cum participia quae variis casibus varii numeri utuntur cum substantivis in singulis casibus prolatis iunguntur. quod quidem non impedit, quominus etiam huic rei accuratius exponendae nonnullam navemus operam.

I. Participii praesentis cum nominativo iungitur accusativus.

Tac. hist. IV, 48 *Marcum Silanum obtinentem Africam metuens.* II, 14 *aderant legati coloniarum auxilium orantes.* II, 29 *id ipsum paventes.* III, 9 *temeritatem incusans.* III, 30 *vibrans tela miles.* IV, 8 *sermones omnium circumspectans.* IV, 17 *auxilia offerentes.* IV, 34 *cuncta cernentes.* IV, 51 *quadraginta milia Parthorum equitum offerentes legati.* Germ. 1 *cetera oceanus ambit latos sinus et insularum immensa spatia complectens.* 10 *coelum suspiciens.* Vell. II, 19 *fugiens consectantes Sullae equites.* II, 70 *mucronem gladii eius dextera tenens.* II, 75 *fugiens mox futuri sui Caesaris arma minus bimum hunc Tiberium Caesarem vindicem Romani imperii futurumque eiusdem Caesaris filium gestans sinu .... pervenit.* II, 79 *consultis facta coniungens.* ib. *ludos in theatro Pompei faciens.* II, 104 *Caesarem revisentes.* Sall. Iug. 91, 4 *nihil hostile metuentes multi oppido egressi.* hist. I, 41, 20 *ne alius alium principem exspectantes antecapiamini.* IV, 61, 8 *dum a Carthaginiensibus premebantur amicitiam simulantes.*

II. Participio praesentis cum genetivo iungitur accusativus.

Tac. ann. XI, 22 *ferro accinctus reperitur in coetu salutantium principem.* XI, 35 *continuus dehinc cohortium clamor nomina reorum et poenas flagitantium.* XII, 27 *trepidatum adventu Chattorum latrocinia agitantium.* XIII, 15 *pueri sobrios quoque convictus nedum tumulentos ignorantis.* XIII, 50 *crebris populi flagitationibus immodestiam publicanorum arguentis.* XIV, 42 *studia nimiam severitatem aspernantium.* XIV, 45 *dissonae voces respondebant numerum aut aetatem aut sexum ac plurimorum indubiam innocentiam miserantium.* XIV, 52 *detrectare vim equos regendis.* XV, 23 *exortae adulationes censentium honorem divae et pulvinar aedemque et sacerdotem.* XV, 57 *infregit impetum iam manum ad capulum referentis.* XVI, 16 *aliorum taedium exspectarem quamvis honestos civium exitus tristis tamen et continuos aspernantium.* XVI, 21 *auctoritate eius concidisset iuvantis Cilicum legatos dum Capitonem repetundarum interrogant.* XVI, 28 *facilius perlaturos singula increpantem quam nunc silentium perferrent omnia damnantis.* hist. I, 5 *imperium sibi molientis.* ib. *nec deerant sermones senium atque avaritiam Galbae increpantium.* I, 33 *terentium tempus.* I, 44 *plures quam centum viginti libellos praemium exposcentium.* I, 58 *saevitiam militum plerosque ad poenam exposcentium saepius approbat.* I, 66 *Fabi salutem incolumnitatemque Viennensium commen-*

dantis. 1, 72 *praetexentis servatam ab eo filiam.* II, 21 *urbanae militiae et praetoriarum cohortium decus attolentium.* II, 22 *scuta quatientium.* III, 34 *irritam praedam militibus effecerat consensus Italiae emptionem talium mancipiorum aspernantis.* III, 50 *seditiosae militum voces terrebant clavarium . . . flagitantium.* III, 58 *clamoribus populi arma poscentis refovebatur.* IV, 6 *variis ut sunt hominum ingenia sermonibus moderationem laudantium aut constantiam requirentium.* IV, 34 *hinc in ducem clamor pugnam poscentium.* IV, 47 *magna documenta instabilis fortunae summaque et ima miscentis.* Agr. 11 *rutilae Caledoniam habitantium comae.* 28 *Brittanorum sua defensantium.* Vell. I, 1 *hereditarium exercentis in eum odium.* I, 9 *Octavii praetoris navalis et Anicii regem Illyriorum gentium ante currum agentis triumphi fuere celebres.* II, 11 *trahentis iam in tertium annum bellum.* II, 12 *continuatis honoribus rem publicam lacerantium et gladiis quoque et caede comitia discutientium.* II, 55 *undique ad eum* (Pompei filium) *adhuc paterni nominis magnitudinem sequentium ex toto orbe terrarum auxiliis confluentibus.* II, 72 *cum magno sequentium consilia sua comitatu.* II, 102 *nec defuit conservatio hominum vitia eius assentatione alentium.* II, 103 *inserentium coelo manus.* II, 125 *sed haec omnia veteris imperatoris maturitas multa inhibentis . . . . brevi sopiit ac sustulit.* II, 129 *usus* (est) *opera Flacci Pompei . . . merentis semper nunquam captantis gloriam.*[1])

III. Participii praesentis cum dativo iungitur accusativus.

Tac. ann. XI, 34 *ne multo post urbem ingredienti offerebantur.* XII, 15 *potentiam Romanam ostentantibus.* XII, 45 *Romanos auxilio vocanti.* XIII, 5 *legatis Armeniorum causam gentis apud Neronem orantibus.* XIII, 29 *deerat robur aetatis eum primum magistratum capessentibus.* XIV, 8 *iam in mortem centurioni ferrum destringenti . . . . exclamavit.* XIV, 31 *haec agenti Suetonio.* XV, 35 *munus frequentanti Neroni.* XV, 37 *rei frumentariae angustias si abesset metuenti.* XVI, 22 *auctoritate eius concidisset iuvantis Cilicum legatos dum Capitonem repetundarum interrogant.* XVI, 22 *nova cupientibus.* XVI, 29 *manus et tela militum cernentibus.* hist. I, 7 *imperatores . . . . comparantibus.* I, 20 *cuncta scrutantibus.* I, 34 *speciosiora suadentibus accessit.* I, 71 *eandem virtutem admirantibus.* I, 85 *privato Othone nuper atque eadem dicenti nota adulatio.* I, 86 *paranti expeditionem Othoni.* II, 23 *suspectum id*

1) De Vell. II, 109 cf. append. crit.

Othoniensis fuit omnia ducum facta prave aestimantibus. II, 30 *munientibus castra allatum.* II, 50 *tempora reputantibus.* II, 99 *perfidiam meditanti.* II, 100 *Basso eadem molienti minor difficultas erat.* III, 6 *Antonio vexillarios e cohortibus et partem equitum ad invadendam Italiam rapienti.* III, 27 *ni duces fesso militi et velut irritas exhortationes abnuenti Cremonam monstrassent.* III, 38 *sciscitanti causam.* ib. *causam confusionis quaerenti.* III, 75 *Vitellius consulis supplicium poscenti populo restitit.* III, 23 *crates vineasque parantibus adactae tormentis ardentes hastae.* III, 62 *haec meditantibus advenit proficiscendi hora.* III, 63 *novum imperium inchoantibus.* Agr. 18 *cui ingredienti provinciam.* Germ. 5 *numerus argentearum facilior usui promiscua ac vilia mercantibus.* Vell. I, 10 *unum P. Scipioni P. Africani filio nihil ex paterna maiestate praeter speciem nominis vigoremque eloquentiae retinenti in adoptionem dederat.* II, 18 *P. Sulpicius tribunus .... se C. Mario .... omnis provincias concupiscenti addiscit.* II, 46 *Crasso bellum Parthicum iam animo molienti Syria decreta.* II, 72 *nullum habentibus statum quilibet dux erat idoneus cum fortuna non electionem daret, sed perfugium ostenderet exitialemque tempestatem fugientibus statio pro portu foret.* Sall. Cat. 16, 5 *ipsi consulatum petenti magna spes.* Cat. 27, 3 *ubi multa agitanti nihil procedit.* 53, 2 *mihi multa legenti multa audienti.* 53, 4 *mihi multa agitanti constabat.* 86, 3 *homini potentiam quaerenti.* 104, 4 *legatis .... amicitiam et foedus petentibus hoc modo respondebatur.*

IV. Participii praesentis cum accusativo iungitur accusativus.

Tac. ann. XV, 29 *Romanus laudat iuvenem omissis praecipitibus tuta et salutaria capessentem.* XVI, 19 *audiebat referentes nihil de immortalitate animae et sapientium placitis, sed levia carmina et faciles versus.* Agr. 14 *insulam ut vires rebellibus ministrantem aggressus.* dial. 1 *quos eandem hanc quaestionem pertractantes iuvenes admodum audivi.* 23 *laetissima quaeque antiquorum imitantem.* Vell. I, 3 *Corinthum ... claustra Peloponnesi continentem ... condidit.* II, 3 *irruere .... in Gracchum .... concientem paene totius Italiae frequentiam.* II, 6 *parva cupientem.* II, 46 *transgressum Euphratem Crassum potentemque Seluciam .... Orodes una cum parte maiore Romani exercitus interemit.* II, 60 *inter naturaliter simillimos ac diversa volentes crescebat odium.* II, 65 *consularem praetextam iungentem praetorio.* II, 113 *quod semper eum facientem vidi in omnibus bellis.* II, 114 *conferentem arma.*

II, 127 *habentem consularis fratres.* II, 129 *quam celeriter ingratum et nova molientem oppressit.* Sall. Iug. 14, 11 *me iisdem dolis nequit capere nihil minus quam vim aut bellum exspectantem.* 21, 2 *semisomnos partim alios arma sumentis fugant funduntque.* 68, 3 *milites fessos itineris magnitudine etiam abnuentis omnia docet oppidum Vagam non amplius mille passuum abesse.* 88, 3 *Gaetulos et Iugurtham ex sociis nostris praedas agentis . . . . fuderat.* hist. I, 41, 19 *satis illa fuerint quae rabie contracta toleravimus manus conserentis inter se Romanos exercitus.*

V. Participii praesentis cum ablativo iungitur accusativus.

Tac. ann. IV, 21 *in animo revolvente iras . . . . memoria valebat.* XI, 10 *a Vibio Marso Suriae legato bellum minitante cohibitus.* Germ. 17 *singulos artus exprimente.* Vell. II, 112 *cum facientibus copiam pugnandi derigentibusque aciem.* II, 114 *nemo e nobis gradumve nostrum aut praecedentibus aut sequentibus imbecillus fuit.* ib. *non sequentibus disciplinam ignovit.* II, 43 *ne conspiceretur a praedonibus omnia tunc obtinentibus maria.* Sallustii non exstant exempla.

VI. Participii praesentis cum genetivo iungitur dativus.

Unum Vellei exemplum nobis praesto est: II, 110 *cuius immensae multitudinis parentis acerrimis ac peritissimis ducibus,* unum Taciti: hist. III, 68 *obsistentium penatibus.*

VII. Participii praesentis cum accusativo iungitur dativus.

Sall. Iug. 76, 1 *naturam ipsam ceteris imperitantem industria vicerat.*

VIII. Participii praesentis cum ablativo iungitur dativus.

Tac. hist. II, 24 *ferocissimos auxiliarium imminentibus viae lucis occultos componit.*

IX. Participii praesentis cum ablativo iungitur accusativus obiecti vel accusativi cum infinitivo structura vel solus infinitivus.

a) ablativo absoluto obiectum iungitur.

Tac. ann. II, 9 *irridente Arminio vilia servitia pretia.* XI, 6 *talia dicente consule designato.* XII, 69 *aemulante Agrippina proaviae Liviae magnificentiam.* XIII, 7 *haec et talia vulgantibus.* XIV, 2 *lasciva oscula et praenuntias flagitii blanditias annotantibus proximis.* XIV, 44 *sed obtemperari non poterat conglobata multitudine et saxa ac faces minante.* XIV, 53 *familiaritatem eius magis aspernante Caesare.* XIV, 57 *perculso Seneca promptum fuit Ru-*

fum Faenium imminuere Agrippinae amicitiam in eo criminantibus. XV, 51 *interim cunctantibus prolatantibusque spem ac metum.* XII, 40 *illo augente audita.* XIII, 49 *rationem poscentibus amicis.* hist. I, 44 *certatim ostentantibus cruentas manus qui occiderant.* II, 25 *terga vertentibus Vitellianis.* II, 48 *poscente proelium exercitu.* II, 85 *laceratis vexillis nomen Vitellii praetereuntibus.* III, 21 *id vero aegre tolerante milite.* III, 56 *vera dicturis.* III, 58 *etiam libertinis idem munus ultro flagitantibus.* III, 80 *aspernante milite condiciones pacis.* IV, 13 *flagitante supplicium eius exercitu.* IV, 25 *exim consensu ducem Voculam poscentibus Flaccus summam rei ei permisit.* IV, 27 *donec exitium minitantibus exterritus obiecit.* IV, 35 *duplex hinc seditio aliis revocantibus Voculam aliis redire in castra abnuentibus.* IV, 37 *iis qui e superioribus erant causam suam dissociantibus.* IV, 38 *res novas moliente L. Pisone.* IV, 69 *aliis foedera quibusdam opes viresque aut vetustatem originis per iurgia iactantibus.* V, 4 *principia religionis tradentibus Idaeis.* I, 66 *ipsa itinerum spatia et stativorum mutatione vendidande duce.* I, 82 *licentiam in omnes poscentibus.* Agr. 7 *iuvene admodum Domitiano et .... licentiam usurpante.* Vell. II, 2 *omnibus statum concupiscentibus.* II, 5 *facientibus omnibus in procinctu testamenta.* II, 64 *relinquente eum exercitu.* Sallust. Catil. 41, 3 *haec illis volventibus tandem vicit fortuna rei publicae.*

Cognitu multo digniores ii loci sunt, ubi cum ablativo absoluto perfecti temporis verborum deponentium accusativus obiecti iungitur. iam supra enim diximus Ciceronem Caesarem aliosque prorsus respuisse hanc licentiam. velut Tac. ann. XIII, 43 *filium eius Nerullinum aggressis accusatoribus.* XII, 32 *non ausis aciem hostibus.* VI, 17 *copiam vendendi secuta vilitate.* XI, 25 *orationem principiis secuto patrum consulto.* II, 11 *transgresso Alpes Caecina.* II, 45 *non ausis ducibus eadem die oppugnationem castrorum.* Sallust. Iug. 103, 7 *Sulla omnia pollicito.*

b) De ablativo absoluto dependet accusativus cum infinitivo qui dicitur aut solus infinitivus.

Tac. hist. II, 54 *credentibus Othonianis militibus vera esse quae afferebantur.* IV, 3 *etiam mediis patrum annitentibus retinere morem.* IV, 34 *credita per utrumque exercitum fama vulneratum aut interfectum.*

X. Participii futuri cum nominativo iungitur accusativus.

Tac. ann. XIV, 41 *ultionem elusurus.* hist. I, 33 *obsidionem nimirum toleraturus.* dial. 10 *summa adepturus.*

XI. Participii futuri cum dativo iungitur accusativus.

Tac. hist. I, 32 *diversa postulaturis.* ann. XV, 25 *in tantum ferme modum aucta potestate quam populus Romanus Cn. Pompeio bellum piraticum gesturo dederat.* Agr. 1 *narraturo mihi vitam.* 18 *bellum inchoaturo.*

XII. Verborum depon. participii perfecti cum nominativo iungitur accusativus.

Tac. hist. I, 48 *talia locutus.* IV, 78 *secutus fortunam.* I, 72 *quaedam ausus.* III, 16 *hortatus suos.* III, 74 *imperium adeptus.* IV, 11 *nihil ausus.* IV, 15 *multa hostilia ausos.* IV, 20 *nihil cetero in itinere hostile ausi.* I, 14 *pauca praefatus.* I, 37 *urbem ingressus.* 1, 67 *id passi Helvetii.* II, 47 *talia locutus.* III, 67 *nihil principatu fili assecuta nisi luctum et bonam famam.* I, 69 *insignis Verulana Gratilia neque liberos neque propinquos sed bellum secuta.* IV, 11 *Mucianus urbem ingressus.* IV, 34 *meritus adversa.* IV, 46 *ingressus castra Mucianus.* IV, 51 *hibernum mare aggressi.* IV, 84 *tantum maris emensi.* ann. I, 74 *odium apud omnes adeptus.* I, 81 *candidatos hortatus.* II, 8 *precatus Drusum fratrem.* II, 12 *Caesar transgressus Visurgim.* II, 28 *Caesar indicium haud aspernatus.* II, 40 *speculati noctem incustoditam.* II, 42 *fidem assecutus.* II, 56 *instituta et cultum Armeniorum aemulatus.* III, 15 *saeva cuncta perpessus.* III, 23 *Lepida . . . . theatrum . . . . ingressa.* III, 42 *victores frustratus.* III, 68 *multum praefatus.* VI, 21 *complexus eum Tiberius.* VI, 27 *oblitus Arruntium.* VI, 39 *triumphale decus adeptus.* VI, 51 *patrem secutus.* XI, 2 *ingressus defensionem.* XI, 18 *provincias ingressus.* XI, 20 *nihil aliud prolocutus.* XI, 26 *summa adeptus.* XII, 7 *senatum ingressus.* XII, 22 *multa praefatus.* XII, 49 *montem Taurum transgressus* XII, 58 *alia . . . . exsecutus.* XIII, 1 *Agrippina . . . . necem molita.* XIII, 4 *curiam ingressus.* XIII, 41 *Corbulo castra metatus.* XIII, 48 *ea seditio ad saxa et minas ignium progressa.* XIII, 56 *quod ille ut proditionis pretium aspernatus.* XV, 27 *legatos haud aspernatus.* XV, 29 *multum praefatus.* XV, 54 *regressus domum.* Vell. I, 8 *Romulus ultus iniurias.* II, 43 *navem ingressus Armeniam.* II, 86 *persecutus reginam.* II, 97 *peragratus victor omnes partes Germaniae.* II, 123 *prosecutus filium.* Sall. Iug. 88, 1 *Metellus*

Romam profectus. 88, 3 *Gaetulos et Iugurtham aggressus.* Cat. 40, 2 *percontatus pauca.* 45, 4 *multa prius obtestatus.*

XIII. Participii perfecti cum dativo verb. dep. iungitur accusativus.

Tac. hist. III, 6 *intimi gratia primum pilum adepto laeta ad praesens male parta mox in perniciem vertere.* IV, 26 *ingressis Novaesium sexta decuma legio coniungitur.* ann. XIII, 1 *vixdum pueritiam egressi Neroni.* hist. I, 1 *incorruptum fidem professis.*

XIV. Participii perfecti cum accusativo verb. dep. iungitur accusativus.

Tac. hist. IV, 51 *hibernum mare aggressum.* III, 59 *obvium illic Petilium Cerialem habuere agresti cultu et notitia locorum custodias Vitellii elapsum.* ann. IV, 64 *evenisse id olim Claudiae Quintae eiusque statuam vim ignium bis elapsum maiores apud aedem matris deum consecravisse.*

XV. Participii perfecti cum dativo verb. dep. iungitur ablativus.

Tac. ann. XII, 54 *cuncta malefacta sibi impune ratus tanta potentia subnixo.*

B. De genetivo gerundii quocum accusativus coniungitur.

Etiam hoc usu Tacitus ab aliis scriptoribus magnopere differt. constat enim Romanis, nisi accusativus genetivo gerundii iungendus pronomen aut adiectivum generis neutrius erat, activam structuram minus placuisse, quam passivam (colendo agrum — colendo agro). quatenus hanc legem Sallustius et Velleius observaverint vix diiudicari potest, cum exemplorum numerus admodum parvus sit, nam uterque activa structura sex tantummodo locis utitur, quorum quinque non accusativum adiectivi aut pronominis, sed meri substantivi exhibent. Tacitum autem illi insolenti gerundii usui pro gerundivo studiosissime favisse ex subsequentibus exemplis optime intellexeris.

Tac. ann. I, 60 *cupido Caesarem invadit solvendi suprema militibus ducique.* I, 77 *spectantium immodestiam exilio multandi potestas praetoribus fieret.* II, 62 *cupido augendi pecuniam.* III, 19 *Caesar auctor senatui fuit Vitellio . . . . sacerdotia tribuendi.* III, 36 *incedebat . . . . licentia impune probra et invidiam in bonos excitandi arrepta imagine Caesaris.* III, 60 *licentia atque impunitas asyla dicendi.* III, 63 *cultus numinum utrisque Dianam aut Apollinem venerandi.* III, 73 *dat negotium Blaeso ceteros quidem ad*

spem proliceret arma sine noxa ponendi. IV, 1 *intus summa apiscendi libido.* IV, 2 *neque senatorio ambitu abstinebat clientes suos honoribus aut provinciis ornandi.* VI, 23 *tempus subeundi iudicium.* VI, 31 *Parthis mittendi secretos nuntios validissimus auctor fuit Sinnaces.* VI, 43 *spatium exuendi pacta.* XI, 9 *casus Mithridati datus est occupandi Armeniam.* XIII, 5 *edendi gladiatores necessitas.* XIII, 26 *nec grave manumissis per idem obsequium retinendi libertatem.* XV, 5 *Vologesi vetus et penitus infixum erat arma Romana vitandi.* XV, 14 *copia .... mittendi ad Neronem legatos.* XV, 21 *maneat provincialibus potentiam suam tali modo ostendandi.* XV, 33 *cupidine adigebatur Nero promiscas scaenas frequentandi.* hist. I, 12 *licentia ac libidine talia loquendi.* I, 22 *cupidine .... obscura credendi.* I, 32 *tradito more .... quemcunque adulandi principem.* I, 48 *cupidine visendi situm castrorum.* II, 1 *intemperandi .... multos destinandi.* II, 2 *illum cupido incessit adeundi visendique templum Paphiae Veneris.* II, 28 *cura saucios tuendi et militari astu cohortes turbidas .... dispergendi .... iubet.* II, 34 *cura diversa sciscitandi.* II, 54 *plura interrogandi pudor.* II, 88 *cupidine visendi locum.* III, 6 *placuit occasio invadendi incuriosos.* III, 10 *mulcendi vulgus artes et auctoritas.* III, 25 *festinatione consectandi victores.* IV, 78 *obstitit vincentibus pravum inter ipsos certamen omisso hoste spolia consectandi.* IV, 82 *cupido adeundi sacram sedem.* V, 1 *spes occupandi principem adhuc vacuum.* V, 20 *nec omnia patrandi fiducia.* dial. 40 *ius potissimum quemque vexandi.* Vell. II, 17 *ita se gessit, ut nullam petendi consulatum cogitationem habere videretur.* II, 29 *capax recte discendi ingenium.* II, 83 *non iudicio recta legendi.* II, 104 *contingendi manum cupiditas.* II, 116 *materia adipiscendi triumphalia defectus est.* II, 125 *profunda confundendi omnia cupidine.* Sall. Iug. 24, 2 *quem* (Iugurtham) *tanta lubido exstinguendi me invasit.* 70, 5 *cupidus incepta patrandi.* 84, 5 *hortandi causa simul et nobilitatem uti consueverat exagitandi contionem populi advocavit.* 85, 6 *nobilitatem locum invadendi quaerere.* 93, 3 *cupido difficilia faciundi.* hist. IV, 61, 15 *secuti Romani non me sed morem suum omnia regna subvortundi.*

C. De ablativo gerundii quocum accusativus coniungitur.

Cum accusativum gerundii cum accusativo obiecti coniunctum Sallustius, Velleius, Tacitus perinde ac classici scriptores respuant, in ablativi casus usu inprimis Tacitus tanta delectatione versatur,

ut ab eo classicorum angustissimos, Livii paulo ampliores fines perruptos esse iure contendas. — Permultum autem hunc usum ad augendam orationis concisam brevitatem facere in aperto est. ceterum quod discrimen inter ablativum gerundii cum accusativo coniunctum et ablativum gerundivi intercedit, ita definire possumus, ut gerundium poni dicamus ubi notio verbi praevaleat, in obiecto autem nullum pondus insit, gerundivum ubi verbum cum obiecto in unam notionem coalescat neque alterum prae altero emineat. atque haec lex, etiamsi non omnibus locis probatur, tamen satis multis exemplis illustratur, velut Tac. hist. II, 48 *laudando pietatem eius castigando formidinem.* III, 61 *augendo rumoribus virtutem copiasque hostium.* Vell. II, 56 *alterum promittendo consulatum non obligaverat contra differendo Cassium offenderat.* Sall. Iug. 7, 2 *sperans vel ostentando virtutem vel hostium saevitia facile eum occasurum* et sic porro ceteris locis qui infra sequentur. quare Walckium ad Tac. Agric. IX opinio valde fefellit statuentem istam structuram eo tantum ab altera differre, quod antiquior sit. pertinent autem huc:

a) Taciti:

Ann. I, 6 *neve Tiberius vim principatus resolveret cuncta ad senatum vocando.* I, 42 *Divus Iulius seditionem exercitus verbo uno compescuit Quirites vocando qui sacramentum eius detractabant.* II, 26 *modestiam eius eggreditur alterum consulatum offerendo.* II, 55 *postquam ... legiones attigit largitione ambitu infimos manipularium iuvandi eo usque corruptionis provectus est.* II, 86 *egit grates Fonteio Agrippae et Domitio Pollioni quod offerendo filias de officio in rem publicam certarent.* IV, 2 *dispersas per urbem cohortes una in castra conducendo.* IV, 13 *mutando sordidas merces sustentabatur.* IV, 15 *idem annus .... luctu Caesarem affecit alterum ex geminis Drusi liberis extinguendo.* IV, 21 *illic eadem actitando recentia veteraque odia advertit.* IV, 41 *ne assiduos in domum coetus arcendo infringeret potentiam aut receptando facultatem criminantibus praeberet.* IV, 52 *reos tutando.* IV, 64 *tribuendo pecunias.* V, 6 *adiciendo me quoque iis qui.* VI, 43 *assidendo castellum.* VI, 45 *imitando amorem.* XI, 7 *quosdam exercendo agros tolerare vitam.* XI, 29 *plus potentiae ostentando perpulit.* XII, 39 *spolia et captivos largiendo.* XIII, 50 *dissolutionem imperii docendo.* XIII, 54 *minitando vim Romanam.* XIV, 3 *praesumendo remedia munierat corpus.* XIV, 20 *gymnasia et otia et turpes amores exercendo.* hist.

I, 23 *contubernales appellando.* ib. *inserendo querellas.* I, 24 *praecipitem alliciendo.* I, 43 *vertendo in se percussores.* I, 66 *arma genua vestigia prensando.* I, 69 *meliora constantius postulando.* I, 84 *imperia ducum sciscitando.* I, 87 *auctoritatem Paulini vigorem Celsi maturitatem Galli . . . criminando.* II, 11 *eligendo ut potissimos.* II, 29 *haec ferociter iactando.* II, 48 *laudando pietatem eius castigando formidinem.* III, 8 *incruentam et sine luctu victoriam et alia huiusce modi praetexendo.* III, 39 *Blaesum visendo.* III, 54 *captos Vitellii exploratores circumductos . . . . remittendo.* III, 61 *augendo rumoribus virtutem copiasque hostium.* IV, 14 *senes aut invalidos conquirendo.* IV, 17 *captos cohortium praefectos suas in civitates remittendo.* IV, 19 *multa concedendo nihil aliud effecerat.* Agric. 6 *se anteponendo.* 20 *haec comprimendo.* Germ. 14 *vitam componendo.* 27 *maiores tuos lacessendo.*

b) **Vellei:**

II, 16 *ipsum viritim civitate donando duos filios eius creando praetores.* II, 56 *alterum promittendo consulatum non obligaverat contra differendo Cassium offenderat.* ib. (Caesari) *cui magnam invidiam conciliarat M. Antonius . . . imponendo capiti . . . insigne regium.* II, 62 *cum eam iniuriam dissimulando Caesar ipse ferret.* II, 66 *nihil egesti mercedem coelestissimi oris et clarissimi capitis abscisi numerando.* II, 80 *adversa iis, quae aliis placebant dicendo.* II, 109 *exercitum quem . . . . fecerat assiduis adversos finitimos bellis exercendo maiori quam quod habebat operi praeparabat.*

c) **Sallustii:**

Cat. 4, 1 *non fuit consilium . . . agrum colendo . . . . aetatem agere.* 26, 3 *multa pollicendo per Fulviam effecerat.* 38, 1 *coepere senatum criminando plebem exagitare.* 42, 2 *festinando agitando omnia plus timoris quam periculi effecerant.* 43, 3 *illos dubitando et dies prolatando magnas opportunitates corrumpere.* 54, 3 *Cato nihil largiendo gloriam adeptus est.* 59, 6 *ea commemorando militum animos accendebat.* Iug. 3, 3 *neque aliud se fatigando nisi odium quaerere extremae dementiae est.* 4, 2 *ne per insolentiam quis existumet memet studium meum laudando tollere.* 7, 2 *sperans vel ostentando virtutem vel hostium saevitia. facile eum occasurum.* 23, 2 *eos multa pollicendo ac miserando casum suum confirmat.* 27, 1 *ministri regis interpellando ac saepe gratia interdum iurgiis trahundo tempus atrocitatem facti leniebant.* 32, 1 *haec atque alia*

huiusce modi saepius dicundo Memmius populo persuadet. 46, 4 *multa pollicendo persuadet.* 70, 2 *omnia temptando socium sibi adiungit Nabdalsam.* 81, 4 *ne moras agitando aliud quam bellum mallet.* 85, 21 *eorum* (maiorum) *facta memorando clariores sese putant.* 85, 36 *haec atque talia maiores vestri faciundo seque rempublicam celebravere.* 89, 1 *praemia ostentando avortere ab hostibus.* hist. I, 48, 6 *sibi quisque opes aut patrocinia quaerundo consilium publicum corrumperunt.* II, 96, 2 *fessus scribundo mittundoque legatos.* III, 61, 16 *magna illa consulum imperia et patrum decreta vos exsequendo rata efficitis.* IV, 61, 20 *audendo et fallundo et bella ex bellis serendo magni facti.*

Appendix critica.

Tac. ann. II, 8. III, 66. III, 55. XIII, 26. Vell. II, 109.

Tac. ann. II, 8 *Erratum in eo, quod non subvexit et transposuit militem dextras in terras iturum.*

De hoc loco difficillimo opinionum quae exstant duo genera facile distinguas, ad quorum alterum spectat Nipperdeyi, ad alterum Pfitzneri[1]) interpretatio. sed nobis quidem viri illi doctissimi iusto longius progressi esse videntur. verborum enim quorum fides in dubium vocatur neque utrumque e textu eiciendum neque utrumque retinendum est. nam totus sententiarum conexus postulat, ut vox Amisiae ut inutile librarii alicuius additamentum removeatur, at verbum subvexit, quod a multis pro glossemate habetur, tanquam membrum orationis maxime necessarium retineatur. atque ante omnia quaeritur, quid sibi velit Amisiae, quem esse locum, castellum Pfitzner ex antecedentibus ad Amisiam flumen concludi posse pro certo habet. Pfitzneri verba sunt: *Tacitus hat der irrthümlichen Auffassung von Amisia als fluss dadurch hinlänglich vorgebeugt, dass er die Lage des ortes durch ein nachfolgendes laevo amne bezeichnet und nach einem so eben vorhergehenden ad Amisiam flumen kann nicht unter dem blossen Amisiae der fluss wieder verstanden werden,* cui sententiae non assentimur, nam quam opinionem Pfitzner refutare vo-

1) Die Annalen des Tacitus kritisch beleuchtet, Halle 1869 I, p. 89.

luit, eam probavit. immo propter id ipsum, quod paulo superius ad Amisiam flumen dictum est, Tacito non opus esse videbatur inferiore loco ad vocem Amisiae adicere attributum flumen perinde ac si Amisia alicuius castelli nomen esset, Tacitus hoc monere debuit, praesertim cum nusquam alibi urbis Amisiae mentio fiat. verbum autem subvexit non est cur pro glossemate habeatur, cum sententiarum conexui non adversetur, sed valde faveat. si enim in textu retinetur, ex Taciti opinione Germanico id vertendum vitio est, quod, ut aestum crescentem fugeret, neque in superiorem fluvii partem exercitum duxit neque, cum ad hunc locum pervenerit, ad dextram ripam appulit.

Tac. ann. III, 66 *Obscura initia impudentibus ausis propolluebat.*

Verbum propolluebat omnibus codicibus traditum cum plerique editores dubitent num ferri possit, mutationes varias proponunt. quodsi quaeritur, utrum librorum manuscriptorum lectio retineri necne possit, nos priori rationi plus auctoritatis tribuimus, quae sententia si comprobata erit, omnes mutationes examinare non erit necessarium. ante omnia mirum est, quod permulti editores verbum istud reicere volunt, quamquam ne unus quidem causam protulit. sed nonne eodem iure nostro loco scribimus propolluebat quam ann. VI, 25 *ἅπ. εἰρ.* provivere, weiter leben, noch fort leben. nonne verbum propolluere comparatum cum provivere (VI, 25), producere (III, 24, VI, 48), prolatare (ann. XI, 37) clarum est idem valere ac porro polluere aut polluere nondum desinere (*προσκαταισχύνειν*). quid? aliter sane res sese haberet, si lectio codicum difficillima explicatu esset ac similibus exemplis careret vel si quis lectionem corruptam per *ἅπ. εἰρημ.* emendare vellet. sed vocem aliquam e textu eicere ideo, quod nusquam alibi invenitur, excusari nequit, praesertim cum sensus admodum bonus praebeatur.

Postquam hunc locum iam tractavimus, forte occurrit nobis in Fleckeisenii annal. CXI pag. 879 commentariolum Woerneri, cuius mutationem, si omnino a manuscriptis recedere opus esset, ceteris, quae facta sunt, praeferendum esse putaremus. proponit enim legendum prope occulebat (*er suchte durch unverschämt freches auftreten seine dunklen anfänge vor der öffentlichkeit gewissermassen zu verhüllen*).

Rationes, quibus Woerner ad mutationem suam adductus est, non difficiles sunt ad refellendum. contendit enim vir ille

doctus, quae porro pollui dicantur, ea iam antea polluta esse debere, Othonis autem vitam nullo flagitio affectam fuisse ex ipso Tacito elucere, cum narratum sit Othonem antea literarium ludum exercuisse, quod munus dedecori sane non sit. sed haec omnia vana sunt, debet enim opponi Tacitum, cum verbo propolluebat utatur, summum pondus posuisse in verbis obscura initia, quod Woernerum fugisse videtur. cum enim initia Othonis obscura nuncupentur, hoc idem est ac si Tacitus dixisset in sermone hominum Othonis priorem vitam ideo, quod obscura sit, bona fama caruisse. hanc igitur vitam, cuius iam initia hominibus suspicionem movent, impudentibus ausis porro polluebat. ceterum, quid dicamus de Woerneri mutatione, si rationes palaeographicas respexerimus. minime enim intellegitur, quo pacto pro prope occulebat — vocibus satis notis — librarius aliquis scribere potuerit propolluebat, quod verbum nusquam alibi inveniatur. quare prioris interpretationis patrocinium sustinemus.

Vell. II, 109 ad § 21 nostri libelli referant necesse est, qui Madvigii[1]) mutationem corpus suum custodientium imperium perpetuis qu. s. probant. sed accuratius videamus, quae huius loci ratio sit. lectio Amerbachiana corrupta est: *corpus suum custodia tum imperium.* ac contra Madvigii, quem Halm secutus est, rationem huius loci restituendi dici potest Velleium de exercitu Marobodui paulo inferius (exercitumque quam septuaginta .... opera praeparabat) narrare, ineunte autem capite de interno robore imperii disserere videri. porro, disciplinae formam sensum militaris disciplinae habere posse negaverimus, quod si scriptor dicere voluit non forma, sed modus disciplinae scribere debuit. est enim disciplina militaris id quod adhibetur vel exercetur, at si quis dicit disciplinae forma, non subest notio adhibendi, sed res, de qua agitur eo ipso, quod exstat, id assequitur, quod effici ea debet. ergo si disciplinam vocabulum putamus praeditum esse sensu disciplinae militaris, kriegszucht, dici debuit a Velleio disciplinae modus vel aliud quidpiam, sed disc. forma nihil est, nisi disciplina intellegitur sensu administrationis vel institutionis, einrichtung, nam disciplina militaris certo quodam

1) Cf. Halm: Ueber Madvigs Vermutungen zu Velleius Paterculus, Valerius Maximus und Tacitus, Jahrb. f. phil. u. päd. CIX, p. 397.

modo et institutio civitatis certa quadam *forma* utitur. quoniam autem ii, qui lectionem Madvigianam eiusque similem aliquam amplectuntur, verba disciplinae formam sensu disciplinae militaris, non institutionis civitatis necessario intellegunt, Madvigii mutationem etiam hanc propter causam sine dubio falsam esse censemus. sunt etiam, qui genuinam lectionem restituisse sibi videantur, cum scribant corpus suum custodia munivit. imperium perpetuis qu. s. sed de custodia, quam Maroboduus sibi circumdedit, cogitare ab universa indole huius loci alienissimum est. nam de corpore omnibusque, quae ad id pertinent, in antecedenti capite satis dictum est. quam ineptum igitur et absurdum, si Velleius, postquam verba occupatis igitur quos .... iuris sui fecit inseruit, de corporis custodia verba facere vellet. — Venimus ad Kritzium, cuius de hoc loco opinioni id laudi tribuo, quod etiam quaestionis, quomodo corruptela orta sit, rationem habet. existimat enim genuinam lectionem esse corpus sui custoditum imperii, nam avulsa tum syllaba primo ex custoditum ortum esse custodia tum, quo facto librarium aliquem ut sensum loco inferret sui mutasse in suum ad corpus pertinentem et imperii ad redactum referentem in imperium. huic interpretationi cuivis apparebit sanam inesse rationem. attamen ab omni parte eam probabilem esse negamus. haud dubie enim offendit participium custoditum quod putamus aptissime mutari posse in custodia tutum. etiam si palaeographicam condicionem spectes, nostra lectio praeferenda videtur, nam multo minus eam abhorrere a custodiatum, quam lectionem custoditum in aperto est.

Diu multumque desudarunt viri docti de loco **ann. III, 55** corrupto, quem tamen optime sanari posse puto, si genetivum qui dicitur obiectivum statuimus praeeunte substantivo certamen.

Nec omnia apud priores meliora sed nostra quoque aetas multa laudis et artium imitanda posteris tulit. verum haec nobis maiores certamina ex honesto maneant.

Talem codices hunc locum exhibent. quaeritur autem, num sine mutatione aliqua ferri possit, quod nisi ita est, emendatione opus esse haud facili videtur. permultum enim offensionis habet vox maiores, quod nulla utitur grammatica ratione. sed nihilominus sunt qui sine mutatione locum haud difficilem esse ad interpretandum arbitrentur. mutata enim interpunctione locum explicare conatus est Roth auctore Boxhornio (cf. Roth. Agr. exc.

25, 5). sed interpretandi modus, quo iste usus est, artificiosior videbitur et durior, quam ut cuiquam persuaderi possit. interpungit enim: verum haec nobis maiores; certamina ex honesto maneant. quae verba interpretatione illustrat admodum audaci ut nobis videtur. dicit enim Roth tanquam se ipsum corrigentem Tacitum redire ad eam orationis partem, quae verbis dites olim incepta et verbis sed praecipuus adstricti moris auctor interrupta sit, id quod fiat verbis verum haec nobis qu. squ. quae nihil aliud significent, quam: haec sunt, quae maiores de morum mutatione memoriae prodiderunt, quibus (sc. verbis) quaestio persoluta est, sed speremus fore, ut certamina honesta permaneant. oppositionem quandam esse vir ille doctus contendit, quae intercedat inter vocem maneant et maiores, quippe cui insit notio praeteriti. sed contra hanc Rothii sententiam, e qua oppositio quaedam intercedat inter maiores vocem et maneant veremur, ne dicatur non esse sui loci verbum maneant, sed per emphasin quodammodo ante enuntiatum esse ponendum: verum haec nobis maiores; maneant certamina ex honesto. nam verbo maneant post totum enuntiatum posito non inesse illam vim quam Roth velit liquido patet. huc accedit, quod vel a Taciti loquendi usu abhorret pauca illa verba discernere in duo enuntiata tam aspere inter se opposita. corruit igitur Rothii sententia, quamquam verbis nisi forte eam orationis partem, quae morum mutationem describat, interrumpi nemo negaverit. — Sententiae quam modo refutavimus proxima est Walchii interpretatio, qui voce maiores mutata in maior res lucem loco intulisse sibi videtur. ac quantum nos intellegimus Walchii mutationem quam accuratius non explicavit, voces verum haec nobis maior res pertinent ad antecedentia nisi forte .... tulit tanquam si Tacitus dicere voluerit, se missum fecisse, utrum Vespasiano auctore an temporum vicissitudine ipsorum mutatio morum facta sit, difficiliorem enim esse quaestionem, sed maneant certamina ex honesto se velle. huic interpretationi vocem maior obstare facile intellegitur, etiamsi quis obiter locum inspexerit. praeterea — id quod supra de Rothii interpretatione monuimus pauca illa verba in duo enuntiata tam dure dividere, ut quid rei sit vix intellegatur vel a Taciti genere scribendi alienum est.

Aliam emendandi viam ingressus est Lipsius qui ante maiores praepositionem in supplet, quae sequente litera m fa-

cile absorberi potuerit. sensus autem est: quoniam etiam mores temporum vicissitudine necessario mutari solent, hoc tamen sperandum est fore, ut haec certamina erga maiores honesta nobis maneant neve una cum ceteris rebus mutentur. — Iam quod ad sermonem attinet aliquid offensionis habere videntur verba in maiores certamina, quae structura nusquam alibi inveniatur, nam licet loci exstent, ubi dissimilem esse in aliquem vel nova in fratrum filias coniugia dictum est, tamen structuram in maiores certamina cum a Taciti usitato sermone, tum ab aliorum scriptorum alienam in textum recipere valde dubitamus, praesertim cum ne simplex quidem verbum certare cum praepositione in coniunctum apud Tacitum inveniatur. quare Ritter proposuit lectionem **adversus** maiores, cui mutationi, cum nimis a textu abhorreat, non assentimur.

Iam quid de Nipperdeyi mutatione iudicandum sit videamus. patrocinatur enim lectioni, quae neque alius cuiusdam nititur sententia neque ulli alii comprobata est: verum haec nos (imitanda posteris tulimus); nobis maiores (imitanda tulerunt): certamina ex honesto maneant. permulta sunt quae contra dici possunt argumenta, sufficiat unum protulisse. offendendum enim est in enuntiati verum haec nos (imitanda posteris tulimus) pronomine haec, quod Nipperdeyo iudice aliquid significat, quod nequit significare. si enim revera Tacitus dicere voluit verum haec nos imitanda posteris tulimus, haud dubie earum rerum, quae scriptoris aetati summae laudi sunt, mentionem facere debuerat neque sufficit in universum dicere multa laudis et artium imitanda posteris aetatem tulisse. fit enim nescio quo pacto, ut Nipperdeyi lectionem verum haec nos (im. p. tul.) perlegentes quaeramus, quid sit quod tulerint et cur non sufficiat quod dicitur: multa laudis et artium imitanda. ceterum Nipperdey quoque abusus esse ut ita dicam Tacitina brevitate videtur. nam enuntiatum, quod ex verbis tam abrupte inter se compositis constat et non nisi tot ellipsibus explicari potest vel a Taciti sermone abhorret. — Neque minus comprobemus Ioannis Muelleri[1]) coniecturam, ex qua vox maiores supposita voce animorum deletur. nam sensus quem vir ille doctissimus nostro loco infert nimis generalis est, quam ut consilio scriptoris respondere eum veresimile sit.

1) Beiträge zur Erklärung und Kritik des Tacitus. III, p. 34.

Restat ut dicamus, quid nos sentiamus. ac proficiscendum me iudice est a duobus vocibus: verum — certamina, quae si recte intellectae erunt, nobis tanquam offerunt, quod pro vocabulo maiores supplendum sit, nam hoc corruptum esse praecedente Ioanne Muellero suspicamur, quamquam Muelleri coniecturam ipsam reicimus. ac coniunctionem verum idem valere ac ceterum confidimus, cuius significationis cum apud multos posterioris aetatis scriptores, tum apud Tacitum luculenta exstant exempla. itaque enuntiati verba verum haec nobis qu. squ. artissime cohaerere cum antecedentibus sed praecipuus adstricti qu. squ. contendimus et vocabulo verum = ceterum opus esse inde apparet, quod legitimus orationis ordo enuntiato nisi forte rebus cunctis .... imitanda posteris tulit interrumpitur. porro quid voc. certamina sibi velit quaeritur, nam de notione huius vocis quaestio plus minusve praetermissa est: nobis autem ad locum sanandum plurimum valere videtur. qua enim in re constare illa certamina putemus? contenderimus in bonis moribus imitandis neve dubitarimus haec certamina referre ad Vespasiani aetatis amorem aemulandi (scil. bonum, honestum, bonos mores), qui validior erat, quam poena ex legibus et metus. haec voc. igitur nihil aliud significat, quam Vespasiani aetatis certamina honesta, quae etsi Domitiani imperio deminuta sunt, tamen permanserunt. praeterea quaeritur, quid pro voce maiores, in qua corruptelam inesse verisimillimum videtur coniciamus. itaque si quid videmus vocabulo maiores in morum mutato non male locus sanatur, ut egregia verborum continuatione et dilucida sententiarum perspicuitate vertendum sit: übrigens möge dieser ehrbare wettkampf, der zum object die gute sitte hat, fortbestehen.

Ann. XIII, 26 *nec grave manumissis per idem obsequium retinendi libertatem per quod assecuti sunt.*

Haec sunt ultima verba capitis, quod foede corruptum est. inprimis examinanda erunt verba: *nec deerant, qui censerent, sed consules relatione incipere non ausi ignaro principe perscripsere tamen ei consensum senatus. ille an auctor constitutionis fieret ut inter paucos et sententiae adversos quibusdam coalitam in libertate reverentiam eo prorupisse frementibus ui ne an aequo cum patronis iure agerent sententiam eorum consularent ac verberibus manus ultro intenderent impulere vel poenam suam dissuadentes.*

Locum admodum mutilum esse manifestum videtur, quare

quomodo ad integrum restitui possit difficillima quaestio est, sed nihilominus videamus, quid ex criticae artis rationibus periclitandum sit. ac voces relatione in relationem et reverentiam in irreverentiam commutandas esse omni caret dubitatione, sed utinam subsequentia verba non minus recte emendare possimus!

Ac priusquam hoc conemur, quae viri docti de loco nostro protulerint, quaerendum est. quo in genere ultra Doederleini aetatem regredi opus non esse videtur, quod qui ante Doederleini tempora Tacito interpretando operam navaverunt, eorum sententiae aut a nostri temporis viris doctis receptae aut tam perversae sunt, ut quae accuratius examinentur non sint dignae. ac Doederlein ipse suspicatur: ut iam aeque cum patronis iure agerent, ne sententiam eorum consultarent. quo vitio haec mutatio laboret facile est ad intellegendum. minime obiciamus Doed. audaciam, quod ante voc. sententiam particulam ne legi vult, quippe quae pro nedum dicta Sall. Cat. 11; Liv. III, 52; XL, 25 et apud Tacitum ipsum — quamquam uno tantummodo loco ann. XI, 30 — inveniatur et librarii vitio facile sede sua moveri potuerit. sed id argumentum proferamus contra Doederleinum, ut statuamus in illo enuntiato, quod ex compluribus partibus compositum sit, deesse gradationem quandam, quae necessaria videatur. nam si legentes pervenerimus usque ad eorum consultarent, e Doederl. lectione subsequentia verba ac verberibus qu. squ. tam ieiune dicta sunt, ut iudicium legentis et exspectatio tanquam fallatur.

Etiam in Bezzenbergeri et Sirkeri mutatione — ut plane aequo cum patronis iure agerent sententiam eorum conculcarent (Bezzenb.) — ut iam aequo cum patronis iure agerent clementiam eorum conculcarent ne verberibus qu. squ. (Sirker) offendendum est propter argumenta in re ipsa posita. nam libertos, si revera aequo cum patronis iure egerunt, antea sententiam vel clementiam patronorum conculcasse debere per se intellegitur — ergo, quoniam posteriore enuntiati parte (clementiam eorum conculcarent) aliquid exprimitur, quod iam priore continetur, crimine tautologiae cuiusdam enuntiatum non caret. — Idem vitio vertendum est Draegero, cuius annotatione: ne aequo quidem iure d. h. sie lassen sich nicht einmal auf einen regelrechten process mit dem patronus ein, sondern drohen ihm mit schlägen. (coniecit enim: ut ne aequo quidem cum patronis iure agerent senten-

tiam eorum consultarent ac verberibus qu. squ.) nostra expositio optime probatur. nam cum tanquam praeter voluntatem, quod verum est, sentiat magis quam perspiciat, enuntiati parti alteri: *sie lassen sich nicht einmal auf einen regelrechten process mit dem patronus ein* (ut ne aequo .... agerent) opposuit alteram: *sondern drohen ihm mit schlägen* (verberibus manus ultro intenderent), falso tamen praemittit — id quod ex eius sententia enuntiati priori parti opponi debuit, sed quod opponi non potest — sententiam eorum consultarent.

Haec sufficiant ad sententias Bezzenbergeri, Sirkeri, Draegeri refutandas. iam venimus ad Nipperdeyum, qui ita scribit: ille an auctor constitutionis fieret cum inter paucos et sententiae diversos consultaret quibusdam coalitam libertate irreverentiam eo prorupisse frementibus ut ne aequo quidem cum patronis iure agerent ac verberibus manus ultro intenderant sententiam eo impulere ut poenam sanciendam suaderet. atque haec mutatio ut taceamus de verbis audacius correctis et transpositis falsam rationem Taciti infert narrationi. nam illi frementes principis sententiam non tam eo impulere, ut poenam sanciendam suaderet, ut contraria sententia valeret. cf. c. 27 *disserebatur contra paucorum culpam ipsis exitiosam esse debere nihil universorum iuri derogandum.* — ib.: *haec sententia voluit scripsitque Caesar senatui privatim expenderent causam libertorum quotiens a patronis arguerentur, in commune nihil derogarent.*

Cum autem enuntiati, de quo agitur, extremam quoque partem — impulere vel poenam suam dissuadentes — mutilam esse constet, quid viri docti iudicent de ea disseramus. ac qui omnino emendandi periculum fecerunt aut coniecerunt: impune fere vel poenam suam dissuadentes aut voce dissuadentes reiecta impune fere vel poenam suam derisui habentes aut quod eundem praebet sensum: impune vel poena sua gaudentes.

Hunc in modum, quo iure viri docti et retinuerint et mutarint, perspicue explicatum est: restat, ut dicamus, quae nostra sit sententia. atque ad ineptias, quibus plurimae huius loci interpretationes laborant, amovendas proponimus: ille an auctor constitutionis fieret consuluit inter paucos ei sententiae adversos quibusdam coalitam libertate irreverentiam eo prorupisse frementibus, ut nec iam aequo cum

patronis iure agerent, sed etiam coram insultarent ac verberibus manus ultro intenderent impune vel poenam suam derisui habentes.

Iam argumenta afferamus, cur ita mutarimus. ante omnia aliorum emendationem adoptantes verbum consuluit in textum recepimus, nam et verbo finito opus esse manifestum est et verbum consuluit propter similitudinem literarum voc. constitutionis facillime evanescere potuisse admodum verisimile est. sed quod ad verba vi ne an aequo cum patronis iure agerent sententiam eorum consultarent attinet, viam ingressi sumus emendandi, quam adhuc nemo fortasse iniit. ac rationibus, quibus nisi aliorum coniecturas refellimus, iisdem partim ad nostram utamur stabiliendam. in verbis enim sententiam eorum consultarent commutandis cardinem verti pro certo habemus. quid sibi velint non intellegitur, an libertos solere sententiam patronorum consultasse putemus, postquam aequo iure cum iis agere iam dudum inceperunt? hoc quo absurdius est et ineptius, eo magis mirandum videtur, quod omnes editores altum de his verbis silentium observant praeter unum Nipperdeyum. is enim etsi non aperte declarat in his vocibus esse offendendum, ipse tamen iis offendit, quia non nisi transpositae ab eo possunt explicari. huc accedit, quod certa quaedam gradatio, quam inter enuntiati membra — *ui ne an aequo cum patronis iure agerent* — *sententiam eorum consultarent* — *ac verberibus manus ultro intenderent* — intercedere necesse est, prorsus deest, si mutationes editorum sequimur. atque his rationibus in re ipsa positis alias extrinsecus allatas addere liceat. quaeritur enim, num etiam palaeographicis quae dicuntur legibus emendatio illa comprobetur. nec timemus, ne quis audaciam obiciat, quod ui ne aequo cum patronis mutaverimus in ut nec iam aequo cum patronis. neque minus facile vitio librarii pro sed etiam fieri potuit sententiam et pro coram insultarent eorum consultarent. — Haec interpretatio quadrat ad sensum, ad loquendi usum, ad codicum scripturae rationem.

De extrema parte enuntiati pauca addenda sunt, posteaquam quid exhibeant codices, quae mutationes factae sint supra exposuimus. ac fugit editores subsequentia verba — quid enim aliud laeso patrono concessum quam ut centesimum ultra lapidem in oram Campaniae libertum releget? — ad quaestionem persolvendam plurimum conferre. causale quod vocatur

illud esse enuntiatum particula enim indicat; quaeritur igitur, num causae, quas Tacitus affert, ad antecedentia quadrent. at non quadrant. nam ad verba vel poenam suam dissuadentes confirmanda Tacitus in subsequentibus fortasse dicere debuit: nam saepissime factum, ut liberti patronos pro acceptis poenis gravissime ulciscerentur vel tale quidpiam. quodsi verum est, nihil obstat, quominus pro impulere vel poenam suam dissuadentes legamus impune fere vel poenam suam derisui habentes, nam si ita scribimus, illud quid enim aliud laeso qu. squ. sui loci est nec multum a codicum mutila scriptura aberrat.

DEC 20 1890
JAN 20 1891
APR 16 1891
MAY 3 1895



Lt 1.802
Quaestiones syntacticae de particip
Widener Library
005230097
3 2044 085 235 679